

# Szczepan Szydelski

---

## De recto sensu vaticinii Danielis 70 hebdomanum (Dan. IX 24-27) : (studium apologeticum)

---

Collectanea Theologica 19/1, 59-114

---

1938

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](#), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

## DE RECTO SENSU VATICINII DANIELIS

### 70 HEBDOMADUM (Dan. IX 24—27).

(STUDIUM APOLOGETICUM).

Liber Danielis, praecipue vero contentum in eo vaticinium 70 hebdomadum, inter biblistas et doctos tum anteactis saeculis, tum nostris temporibus, vivacissime disputabatur et disputatur, cum sit maximi momenti: sed inhaerent ei etiam quaedam speciales obscuritates.

In disputatione agitur de valore huius vaticinii pro apologetica et theologia, de valore quoque totius libri Daniel. Etenim in hoc libro continentur prophetiae de quatuor monarchiis, quae praecessurae erant regno messianico (cap. II et VII); est revelatio Filii hominis, quo titulo usus est, loquens de se ipso, Christus Dominus; adest quoque celeberrimum illud 70 hebdomadum vaticinum.

Christus Dominus non solum appellationem Filii hominis ex Daniele sibi assumpsit<sup>1)</sup>, sed etiam expressis verbis ad Danielem provocabat, cum diceret: „Cum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto“ etc. (Math. XXIV. 15). Evidens est his verbis dici de libro Danielis et de vaticinio 70 hebdomadum, quia verba de abominatione desolationis in hoc ipso vaticinio occurrunt, posseque inde inferri, Christum his verbis auctoritate sua authentiam et libri et vaticinii sensumque messianicum huius vaticinii indicasse. Itaque et de auctoritate huius testimonii et de sensu, qui verbis Christi tribuendus sit, porro agitur. Plurimae igitur quaestiones ratione huius libri moveri possunt et revera agitantur.

---

<sup>1)</sup> Cfr. Dr. Fritz Tillmann: Hat die Selbstbezeichnung Jesu „der Menschensohn“ ihre Wurzel in Dan. VII. 13? (Bibl. Zeitschr. 1907, p. 35 ss.).

Omissis tamen ceteris, nos uni tantum quaestioni in praesenti studio incumbemus, qualis scil. sensus litteralis vaticinii 70 hebdom. pro recto habendus et tenendus sit? Nam de ipso sensu tenendo biblistae et exegetae non conveniunt.

Alii nempe accipiunt, in vaticinio hoc revera agi de Iesu Christo eiusque opere et regno messianico. Alii autem talem sensum illi vaticinio denegant affirmantes, ibi narrari eventus temporis Antiochi Epiphanis (175—164 a. Chr.), qui fideles veri Dei multum oppresserit, sanguinem innocentem diffuderit, legalemque cultum in templo Hierosolymitano abstulerit, locum sanctum i. e. ipsum templum et altare, ponendo ibi statuam Jovis eique more gentili sacrificia offerendo profanaverit, abominationem desolationis eo modo ibi fecerit. Sententiae doctorum in explicando sensu huius vaticinii itaque in diversum abeunt.

Utique de sensu litterali agitur, non de sensu typico et spirituali. Multi enim, qui messianicum sensum litteralem reiiciunt, sensum messianicum typicum et spirituale admittunt, quod certo de exegetis catholicis constat. Sed sensus litteralis quaeritur.

Quidam vero vaticinium praedictum etiam sensu eschatologico explicant, et non sine ratione.

Ponitur itaque a nobis questio maxime agitata, utrum hoc vaticinium primario et sensu litterali Christum Dominum, verum Messiam, spectet, an eventus historicos cum Antiocho Epiphiane et Machabaeis coniunctos.

Haec est capitalis quaestio a nobis intenta et solvenda, omissis minutis et minutissimis quaestionibus et quaestiunculis, quibus specialistae exegetae et philologi occupantur.

Permuli et magni ingenii viri, incipiendo iam a II et III christianitatis aevo, elucidandae et solvendae huic quaestioni operam dederunt, sed nondum inventa est solutio, quae omnibus saltem bonae voluntatis viris satisfaceret. Etiam nostris temporibus et in novissimis operibus ab aliis altera sententia propagatur. Etiam inter ipsos catholicos sententia divisa est, in apologetica autem ab antiquo ad hoc vaticinium tamquam ad praestantissimum testimonium pro messianitate Iesu Christi provocatur.

Cum igitur hodie messianicus sensus litteralis huius vaticinii Danielis a multis negetur, diligentius etiam ab apologetis christianis investiganda est quaestio, utrum in apologetica propter

varias oppugnationes et dubia ex usu huius testimonii mota resignari debeat, an eo fortius, non obstantibus motis dubiis, messianicus eius character defendendus et tenendus sit. Hanc ipsam quaestionem praesenti studio investigare intendo, quaerens, si possit inveniri aliqua via solvendi, quae cum necessitate et traditione apologeticae magis conveniat, a tramite autem veritatis et postulatis rectae criticae historicae non discedat.

## CAPUT I.

### Brevis conspectus in historiam interpretationum huius vaticinii.

Multum iuvabit nos in solvenda intenta quaestione, si primo cognoscatur, quomodo hoc vaticinium in praeterito explicatum sit, ideoque historiam eius interpretationis breviter sed accurate exponemus hoc primo capite.

Etenim primus, quem quaestio vaticinii 70 hebd. serio occupavit, Clemens Alexandrinus fuisse videtur. Eius interpretatio investigata est diligentissime cum magna eruditione animique acribia a nostro biblista p. d. Vladislao Hozakowski in notabili monographia Klemens z Aleksandrii o 70 tygodniach Daniela proroka (Clemens Alex. de 70 hebdom. Dan. proph.)<sup>2)</sup>.

Usus est Clemens probabiliter versione LXX, quae ad specialem finem et contra textum hebraicum posuit numeros annorum  $7 + 70 + 62 + \frac{1}{2}$ , inde opportunum ei videbatur alio modo 70 annos explicare et alio ceteros numeros. Illos alias applicabat nativitati Christi vel baptismo Christi in Jordane, cum Spiritus Sanctus super capite eius apparuerit.

Speciali modo occupabant Clementem versus 26 et 27, ubi de rebus, quae ultima hebdomade, in dimidio eius, fieri debeant, est sermo, quae autem ad passionem mortemque Christi in cruce firmiter referebat. Item de ruina templi et urbis messianico sensu cogitabat. Nullum dubium in hac explicatione eum inquietabat: sensum messianicum acceptabat certo, testantibus ipsis eius-

<sup>2)</sup> Poznań 1912. Wydawnictwo „Miesięcznika Kościelnego“, str. 144, duża 8<sup>o</sup>.

verbis in *Stromatibus*, ubi inter alia leguntur: „Et Dominus noster Christus, Sanctus Sanctorum, cum venisset et visionem implesserset... in carne unctus est Patris sui Spiritu“.

V. 26 de duce venturo cum populo applicat Clemens Vespasiano et expugnationi Jerusalem per Titum, ideoque loquitur: „Vespasianus autem regnum obtinuit. Nero sublatu*s* est, Otho et Galba et Vitelius (evidens allusio ad Dan. VII. 8, 24 „tres reges humiliabit“... Vespasianus et Jerusalem diruit“<sup>3)</sup>). Item versum 27 de confirmando pacto, Christo Domino applicat.

Clarissime igitur ex scriptis Clementis litteralis sensus messianicus vaticinii 70 hebd. patet, idque Hozakowski accurate multis et evidentissimis testimonio*s* probat<sup>4)</sup>.

Simili modo Hippolytus, aliis vir eruditissimus, qui primis decenniis III s. varia et multa opera apologetica et theologica in lucem edidit, etsi alio modo nostrum vaticinium interpretaretur, clarissime tamen vaticinium hoc sensu messianico ad Christum Dominum eiusque eschatologicum triumphum referebat.

Cornu parvum („modicum“, VII 8, VIII 9) in libro Danielis iuxta Hypsilotum est Antichristus, lapis autem percutiens (II. 35) Christus e coelis veniens et mundo iudicium inducturus. „Sanctus sanctorum“ nemo aliis nisi solus Filius Dei, Christus Dominus, est ei<sup>5)</sup>.

Sextus Julianus Africanus, eminens chronographus s. III, pulcherrime ipsis argumentis chronographicis probat, vaticinium hoc temporibus Christi et in persona ipsius Christi adimpletum esse. Terminum a quo accipit vigesimum annum Artaxerxis I Longomani, quia testante libro Nehemiae (II. 1 s.) rex Persarum Artaxerxes Nehemiae, pincerna*e* suo, licentiam dedit, aliisque postulatis eius annuit, ut possent aedificari muri Jerusalem; terminus autem ad quem ipse Christus ei erat.

Quod haec de adventu Christi dicantur — legimus in fragmento operis eius *Chronographiae* — qui post hebdomadas ab hominibus esset videndus, neutiquam dubium est. Tempore enim Salvatoris nostri, aut ex illo ipso et antiquantur delicta et

<sup>3)</sup> Migne P G VIII. col. 854 s.

<sup>4)</sup> Klemens z Aleksandrii o 70 tyg. Daniela j. w. str. 105–107.

<sup>5)</sup> Migne P G X. c. 642 s., 651 s.

peccata consummantur; per remissionem autem iniquitates cum iniustitiis expiatione delentur, iustitiaque sempiterna denuntiatur praeter eam, quae ex Lege acquirebatur<sup>6)</sup>.

Longum esset brevi conspectu totum hoc fragmentum, attentionis nostrae dignissimum, citare, in quo auctor docte et acri animo rem inquirit, thesimque suam de messianico sensu huius vaticinii probare conatur. Studium eius in nostra quaestione gravissimum fuit, aliisque auctoribus usque ad nostra tempora exemplo factum est. Interpretatio eius nec levis nec gratuita censenda est, sed bene fundata. Auctor ex chronologia gentili et Hebraeorum probat, tempus a propheta praedictum esse tempus Christi.

Sententia Africani facta est exemplaris, multique alii interpres eam sunt secuti; etiam hodie apud exegetas, praecipue inter exegetas catholicos, favoribus utitur, quia et menti religionis christiana multum convenit et validis rationibus defendi potest. Africanus primus annos 70 hebdomadum in continuo computat, vaticiniumque totum Christo Domino eiusque temporibus applicat. Africanus est classicus testis interpretationis messianicae.

Sed et altera sententia, quae vaticinium nostrum temporibus Machabaeorum primario applicat, iam saec. III propugnatorem habuit, Porphyrium scilicet, quem s. Augustinus doctissimum philosophorum, quamvis christianorum acerrimum inimicum appellat<sup>7)</sup>.

Porphyrius in magno suo opere *Contra Christianos* 15 librorum, impugnando doctrinam christianam inter alia etiam de vaticinio 70 hebdomadum tractavit, conatusque est probare, vaticinium hoc exaratum esse post eventus, qui accidissent temporibus Antiochi Epiphanis et Machabaeorum.

De interpretatione libri Danielis a Porphyrio eiusque prophetiae 70 hebdom. s. Hieronymus inter alia sequentia dicit: „Contra Prophetam Danielem duodecimum librum scripsit Porphyrius, nolens eum ab ipso, cuius inscriptus est nomine, esse compositum, sed a quodam, qui temporibus Antiochi Epiphanis fuerit in Iudea, et non tam Danielem futura dixisse, quam illum narrasse praeterita. Denique quidquid usque ad

<sup>6)</sup> Migne P. Gr., X. col. 79.

<sup>7)</sup> De Civitate Dei, XIX. c. 22.

Antiochum dixerit, veram historiam continere: si quid autem ultra opinatus est, quia futura nescierit, esse mentitum<sup>8)</sup>.

Cum adducit haec Hieronymi verba auctor recentissimi et pulcherrimi operis *La réaction païenne*<sup>9)</sup>, D. Pierre de Labriolle, notat hypothesis hanc Porphyrii bonam fortunam nanctam esse inter recentes exegetas, utique inter sic dictos exegetas criticos.

Narrat porro Hieronymus, Porphyrium singula in libro Danielis ad aetatem Antiochi Epiphanis pertinentia diligenter persecutum esse, speciatim tractasse de bellis Antiochi contra Ptolemaeos, quae iuxta communem opinionem hodiernorum exegetarum narrata sunt cap. XI libri Danielis.

Viam a Porphyrio stratam prosecuti sunt, ut infra videbitur, multi alii, simili modo rem interpretantes, etsi non omnes utique mentita in vaticiniis Danielis admitterent vel admittant. Porphyrius primus ingressus est viam, quae criticæ historicae nostrorum temporum visa est recta et accommodatissima.

Interpretationem a Tertulliano factam omittimus.

Saepissime a hodiernis commemoratur Quintus Julius Hilarianus, scriptor ex fine s. IV, qui est auctor duorum opusculorum *De ratione Paschatis* et *De Chronologia sive do mundi duratione*.

Hilarianus multa saecula oblivioni datus, a contemporaneis nostris resuscitatus est hac sola haud dubie ratione, quia in *Chronologia* 70 hebdomades annorum Danielis temporibus Antiochi Epiphanis applicat, nihil dicendo de messianico sensu vaticinii. Iuxta hunc auctorem totum vaticium 70 hebd. impletum est anno 148 regni Graecorum<sup>10)</sup>, i. e. circa 165 ante Chr., cum statua Jovis in templo ab Antiocho Epiphane poneretur.

Studium Hilariani non videtur fuisse profundum neque convenire cum interpretatione aliorum chronographorum et auctorum illius temporis, propterea interpretatio ab eo data vaticinii 70 hebd., prout et ipsum opusculum eius, parum certissime originale, memoria cessit, revixit autem nostris temporibus propter sensum machabaeicum, quo vaticinium 70 hebdomadum interpretatus est.

<sup>8)</sup> Migne P L XXV. In Danielem Prophetam, col. 491 s.

<sup>9)</sup> L'artisan du livre, Paris 1934, 3-me éd.

<sup>10)</sup> Migne P L XIII, col. 1104.

S. Hieronymus, magnae auctoritatis biblista et exegeta, in commentario *In librum Danielis* collegit sententias priorum auctorum, quomodo nempe vaticinium nostrum explicabant Julius Africanus, Eusebius Pamphilus, Hippolytus, Tertullianus, Apollinaris Laodicenus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Porphyrius. Ex illa collectione cognoscimus, quam diverso modo varii auctores singula illius vaticinii explicarent et quomodo, excepto tamen Porphyrio, quoad mentem generalem unanimes essent in tribuendo verbis Danielis sensu litterali messianico vel eschatologico-messianico.

Ipsi Hieronymo maxime placuit interpretatio Julii Africani, fusius tamen et profundius rem hanc exposuit. Mentem suam sat clare illis verbis aperuit: „Nullum prophetarum tam aperte dixisse de Christo, non enim solum scribit illum venturum, quod est commune cum ceteris, sed etiam, quo tempore venturus sit, docet et reges per ordinem digerit et annos enumerat et manifestissima signa praenuntiat“<sup>11)</sup>.

Hieronymus in multis impugnat interpretationem Porphyrii, propugnabat autem sententiam messianicam, quae tum propter auctoritatem magnam Hieronymi, tum propter ipsum textum vaticinii et eventus historicos transiit ad posteros et facta est inter catholicos quasi communis. Toto medio aevo vaticinium 70 hebdomadum sensu messianico accipiebatur. Non utique ita scriptores iudaici, qui communiter vaticinium ad eventus Antiochi et Machabaeorum referebant et referunt.

Etiam sequentibus saeculis haec messianica interpretatio inter catholicos communiter vigebat. Quidam tamen, ut Sixtus Sienensis s. XVI, dubia contra tale sistema interpretationis movebant.

Saec. autem XVIII Marsham (anglicanus) et P. Harduin S. J., potissimum vero P. Calmet, pro interpretatione machabaeica pugnabant, erant autem omnes tres magnae auctoritatis viri docti.

Sententias Marshami, prout et P. Harduini, Augustinus Calmet in sua *Dissertatione de 70 septimanis Danielis* exponit et defendit, defendendo eo ipso interpretationem machabaeicam.

<sup>11)</sup> Migne P. L. XXV. In Danielem Prophetam. Prologus 491 s.

Tomus *Commentariorum* Calmet, in quo liber Danielis tractatus est, apparuit a. 1794<sup>12)</sup>.

In sua Dissertatione generaliter Calmet interpretationem huius vaticinii in praeterito investigat, exponitque rationes, quae pro interpretatione machabaeica testari possint. Auctor ipse favet interpretationi ab Marsham et Harduino praestitae. Sed etiam P. Lamy oratorianum, qui acriter interpretationem Harduini impugnabat, ponit rationesque ab eo allatas refert.

Pro Harduino et contra Lamy auctor scribit, Harduinum de asserto Marshami systemate seipsum egregie purgasse; Harduinum et ipse Calmet defendit et excusat.

Secundum P. Calmet 70 hebd. Dan. numeranda sunt ab exitu sermonis Jeremiae (non Artaxerxis Longimani); „Christus dux“ est ei Cyrus; occidens Christus (IX. 26) summus sacerdos Onias, qui Antiochiae regnante iam Antiocho Epiphane, sed non per Antiochum, occisus est (II Mach. IV. 30 ss.); abominatio desolationis est profanatio templi altarisque, posita in loco sancto statua Jovis et ablato cultus Dei Jahve; sanctum sanctorum designat templum Hierosolymitanum, quod quidem profanatum erat, sed etiam Dan. VIII. 14 purganda et reconcilianda, victis scilicet ab Iuda Machabaeo hostibus.

Iuste igitur Calmet ab hodiernis inter patronos interpretationis Machabaeicae enumeratur, prout et prof. Michalski<sup>13)</sup> ad eum provocat. Sed cum multi hodie ad eius auctoritatem et exemplum pro defendenda interpretatione machabaeica provocent, liceat mihi in memoriam revocare etiam alia testimonia in eius praefata Dissertatione posita.

Calmet de interpretatione Julii Africani et systemate eius dicit: „Visum est plurimis aliis viris doctissimis“ aptum, „satisque constat, eius sistema p[ro]e veteribus omnibus commodissimum esse, dignum proinde, quod paucis mutatis plures doctissimi nostrae aetatis interpretes defendendum suscepereint“<sup>14)</sup>.

Et alio loco loquitur: „Recepta communi suffragio nostra aetate apud theologos et interpretes sententia tenet, annum vi-

<sup>12)</sup> Augustini Calmet, O. S. B., *Commentarium litterale in omnes ac singulos tum V. cum N. T. libros. T. VI. Augustae Vindelicorum a. MDCCXXXIV. De libro Danielis p. 490 ss. Dissertatio p. 494 s.*

<sup>13)</sup> *Collectanea Theol.* 1935, p. 439.

<sup>14)</sup> *Commentariorum t. VI. u. s. p. 495—496.*

gesimum Artaxerxis Longimani cum primo septimanarum componendum; postrema hebdomada Jesus Christus cruentum sacrum Patri oblatus, veteribus sacrificiis atque figuris finem imposuit“<sup>15)</sup>.

Speciali modo attendenda sunt sequentia verba P. Calmet, quibus suas de intelligendo nostro hoc vaticinio observationes claudit: „Hisce tamen coniecturis, non levibus plane nec futilibus, quibus exitus 70 septiminarum in purificatione templi per Judam Machabaeum constitutus, nequidquam obstantibus, tutius tamen ac optimum factu censemus, si eius periodi exitus constituatur in obitu Christi, initium vero (una cum Africano) anno 20-mo Artaxerxis Longimani“<sup>16)</sup>.

De propria hypothesi, connectendo eam cum hypothesi Marshami et Harduini, haec modesta verba profert: „Nos eandem ideam secuti, alterum sistema procudendum suscipimus, forte minoribus incommodis obnoxium“<sup>17)</sup>.

Et de propria et de aliorum sententia haec denique verba posuit: „Sed quae, rogo, hypothesis dubitationes omnes subducat?“<sup>18)</sup>. Sequuntur autem illa alia notata digna verba de sensu vaticinii 70 hebdom.: „Verba ipsa vaticinii primum habent sensum in Jesu Christo et Messia, vero Uncto Domini, pro expiandis sceleribus Juda, Israel atque omnium denique mortalium neci tradito. Cum ipso enim perpetuo assedit iustitia, ipse Sanctus sanctorum inauguratus est, sive in re, sive in typo Ecclesiae suae“.

Fusius tractavimus de P. Calmet, quia magna est auctoritas eius et saepissime ad eum hodierni defensores interpretationis, quam vocavimus machabaeicam, provocant: revocanda in memoriam igitur erant etiam ea, quae ad sensum messianicum huius vaticinii spectare videntur. P. Calmet, quamvis propriam hypothesim ut commodiorem recommendaret, scivit tamen bene ea, quae in ipso textu vaticinii litteralem sensum messianicum postulant.

Inde facillime intelligitur, quare quidam maximaee auctoritatis biblistae s. XVII. ex. gr. P. De la Haye, cum enthusiasmo

---

<sup>15)</sup> Ibidem p. 497.

<sup>16)</sup> Ibidem p. 501.

<sup>17)</sup> Ibidem p. 500 a.

<sup>18)</sup> Ibidem p. 501 b.

de nostro hoc vaticinio Danielis tamquam de evidentissimo et celleberrimo vaticinio messianico dissererent. „Quelle étonnante précision dans la célèbre prophétie, qui marque l'époque de la manifestation du Messie“ — clamitat P. De la Haye. „Quelle preuve admirable cette prophétie (de monarchia Jesu Christi et de monarchia Antichristi, cuius Antiochus Epiphanes typum gerrebat) ne nous fournit elle pas en faveur de la religion chrétienne“!<sup>19)</sup>.

Recentioribus temporibus magis et magis augebatur numerus eorum, qui libro Danielis eiusque vaticiniis occupabantur. Etiam vaticinium 70 hebdomadum aliter et aliter explicabatur ita, ut iam a. 1883, cum F raidl suam dissertationem *Die Exegese der 70 Wochen Daniel in der alten u. mittleren Zeit* publicaret<sup>20)</sup>, iam supra centum varias interpretationes huius vaticinii usque ad Dionysium carthusianum († 1471) numerare posset; numerabat utique systemata interpretationis inter se in minutis et minutissimis discrepantia ad annum 1470.

Non est intentio nostra omnes has interpretationes, antiquiores et recentiores, enumerare vel eorum classes exponere. Sufficit nobis cognoscere auctores, qui notissimi in serie exegistarum inveniuntur et quam ex duabus fundamentalibus interpretationibus illi auctores sibi vindicarent.

Nostris quoque temporibus dantur gravissimi auctores, qui interpretationi messianicae ut commodissimae favent. Hanc sententiam messianicam ardentissime defendunt in suis commentariis P. Knabenbauer<sup>21)</sup> et R. Trochon<sup>22)</sup>. Eorum Commentarii libri Danielis magnam diligentiam et eruditionem exhibent, iusteque ab omnibus catholicis laudantur.

Knabenbauer in suo *Commentario in Danielem Prophetam* tria prae caeteris prosecutus est, ut scilicet probaret, „librum Danielis nullo pacto ad tempus machabaeicum referri posse, quartum regnum, de quo Daniel agit, esse Romanum, et celeberrimum vaticinium IX. 24—27 ita esse explicandum, ut quae prophetae ante Danielem de Messia eiusque regno vaticinati sint,

<sup>19)</sup> Scripturae Sacrae Cursus completus. Tom. XX. (Migne) col. 13—14.

<sup>20)</sup> Gratz 1883 (Hurter. Nomenclator III. 1297—1298).

<sup>21)</sup> Jos. Knabenbauer S. J., Cursus Scripturae Sacrae IV, Daniel Prophetae. Parisiis. Lethielleux 1891.

<sup>22)</sup> La sainte Bible. Les Prophétes. Daniel. Paris Lethielleux 1882.

accurate ante oculos habeantur<sup>23)</sup>. Simili modo *Trochon* messianicum sensum nostri vaticinii defendit.

Etiam aliqui lutherani, testante nova editione versionis libri Danielis a Luthero confectae<sup>24)</sup>, traditionalem interpretationem libri et vaticinii Danielis accipiunt.

Sed reiiciunt interpretationem messianicam iudei et rationalistae, quod a priori intelligitur, quamvis non ex eadem ratione haec interpretatio messianica reiiciatur ab una et altera parte. Etenim neque Iudei prompti sunt ad accipienda testimonia messianica pro probanda messianitate Jesu Christi, neque rationalistae prompti sunt ad credenda miracula; vaticinium autem 70 hebd., si est messianicum, magnum est miraculum.

At parum nobis interest hoc loco opinionum iudeorum et rationalistarum nostrorum temporum. Item minoris momenti videntur mihi esse interpretationes protestantium, inter quos tendentiae rationalisticae praevalent, etsi quidam eorum, ut Eduardus König auctor libri *Die Messianischen Weissagungen*<sup>25)</sup>, magnam etiam ex parte catholicorum attentionem mereantur. König item pro machabaeica interpretatione loquitur.

Nobis res est praeprimis cum catholicis et de catholicis. Notissimum tamen est, etiam catholicis, et magnae auctoritatis viris, interpretationem syro-machabaeicam magis magisque placere.

Legantur in hac re ex. gr. P. M. J. Lagrange O. Pr.: *Les prophéties messianiques de Daniel*<sup>26)</sup>, vel P. Buzy: *Les symboles de Daniel*<sup>27)</sup>, vel Paul Riesslers: *Das Buch Daniel*<sup>28)</sup>, et res cuique patebit.

Touzard anno iam 1917 de biblistis imprimis catholicis scripsit: „La plupart des exégètes sont aujourd’hui d’accord, pour admettre, qu’en dehors des prophéties messianiques et eschatologiques, les visions, qu’ils renferment (le livre de Daniel), concernent surtout la période grecque et aboutissent aux

<sup>23)</sup> Commentarius in Danielem, Legentibus.

<sup>24)</sup> Die Bibel nach der deutschen Übersetzung Dr. Martin Luthers. Stuttgart, Bibelanstalt (1934), p. 877—878 adnotationes ad cap. Dan. IX.

<sup>25)</sup> Eduard König: Die messianischen Weissagungen des A. T. Stuttgart. Belser 1923.

<sup>26)</sup> Revue Biblique 1904, p. 494—520.

<sup>27)</sup> Rev. Biblique 1918, p. 403 — 1931.

<sup>28)</sup> Wien. Mayer 1902, p. XI. 133.

temps d'Antiochus Epiphanie. C'est même cette constatation, qui est au point de départ de la controverse relative à l'authenticité du livre (Daniel)"<sup>29)</sup>.

Sed ne nimis res protrahatur, sufficiat nobis ad cognoscendam accuratius attendere ad librum notissimi biblistae Joannis Goettsberger: *Das Buch Daniel*<sup>30)</sup> et ad studium nostri Polonorum biblistae Guilhelmi Michalski: *Quaenam regna praemessianica libri Danielis visiones significant?*<sup>31)</sup>.

Uterque auctor et pietate catholica et eruditione eminent, uterque tamen in explicando vaticinio de 70 hebdomadibus ad interpretationem syro-machabaeicam inclinatur.

Illustris professor Goettsberger non negligit quidem observare, messianicam interpretationem Dan. IX. 24—27 apud catholicos praevaluisse (tempore elapso) et praevalere (hodie): „Die eigentlich messianische Deutung ist aber die vorwiegende Deutung von Dan. IX. 24—29 in katholischen Kreisen gewesen und geblieben“. Item non negligit notare in explicandis singulis huius vaticinii positionem etiam traditionalem messianicam. Attamen saepissime advertit ad opinionem doctorum Lagrange, Riessler, Szczygiel, Marti, Meinholt et aliorum et ad mentem illorum opinionem et sententiam propriam format. Multis locis unam et alteram interpretationem ponit et rationes utriusque interpretationis exponit, sed ab edenda decisione, quae sententia accipienda sit, se abstinet.

Auctor in multis quoad fundamentalem illam quaestionem de messianico vel non messianico litterali sensu prophetiae de 70 hebdom. in incerto haesitare videtur.

Item noster illustris professor Michalski in interpretationem litteralem machabaeicam inclinare censendus est. Versu 25 „Christus dux“ videtur ei esse Cyrus; „Christus“ versu 26 est ei Onias summus sacerdos, de quo iam superius sermo erat; „abominatio desolationis“ est statua Jovis ab Antiochio in loco sancto constituta. Solum kadoš kadošim, quae expressio sensu personali, non reali vel abstracto accipitur, clare iuxta auctorem

<sup>29)</sup> Revue Biblique 1917, p. 123—124, adnotatio 3.

<sup>30)</sup> Bonn, Hanstein 1928, VIII. 104.

<sup>31)</sup> Collectanea Theologica, Lwów 1935, fasc. 4, p. 439—482.

Messiam designat<sup>32)</sup>. Caetera explanat auctor ad mentem interpretationis syro-machabaeicæ.

Sed illud kadoš kadošim et Goettsberger et multi alii de templo Hierosolymitano, sensu vero typico etiam de ecclesia Christi accipiunt, eoque modo et hoc unicum messianicum criterium vaticinii evanescere videtur. Magis placet prof. Goettsberger, qui verba vaticinii de „iustitia sempiterna“ pro unico vero criterio messianitatis huius vaticinii habet, cetera vero potius ad tempora Machabaeorum referenda esse ei videntur.

„Ausser diesem geringen messianischen Einschlag („ewige Gerechtigkeit“) führt uns der Ideengang dieser Weissagung gleichsam nur an die Schwelle der neuen Zeit des messianischen Heiles. Von dem aber, was unmittelbar in die Augen springt, spricht so vieles sicher Deutbare für die makkabäische Zeit (ipse auctor signat haec ultima verba), dass sie kaum aus dem Gesichtsfeld des Propheten weggedacht werden kann“<sup>33)</sup>.

Ex illo brevissimo conspectu elucet iam a primis christianitatis saeculis duas fundamentales et diversas huius vaticinii explicationes sibi oppositas fuisse et secum pugnasse. Attamen una dumtaxat litteralis explicatio vera est possibilis: aut messianica aut machabaeica. Sed quae ex utraque sit eligenda ut recta et vera? Hoc est ulterius quaerendum.

## CAPUT II.

### Quibus rationibus utraque interpretatio fundetur?

Certum est unam et alteram sententiam seu interpretationem aliquibus rationibus fulciri, alias enim non possit a viris doctis statui et defendi. Auctores, qui unam vel alteram sententiam defendunt, etiam rationes afferunt, propter quas sententia ab eis defensa acceptanda sit ab aliis.

Interpretatio messianica semper in Ecclesia catholica praeva-lebat; etiam hodie in apologetica catholica testante Goettsberger<sup>34)</sup> praevalet, quae praeventia utique suis rationibus carere nequit.

---

<sup>32)</sup> Collectanea Theologica p. 464—467. Leguntur hic inter alia: „Zatem tylko wiersz IX, 24 ma znaczenie mesjanistyczne; tu Mesjasz nazywa się Świętość świętości“.

<sup>33)</sup> Das Buch Daniel u. S. p. 75.

<sup>34)</sup> Das Buch Daniel, p. 75.

Iam supra mentionem fecimus Christi, qui ad hoc vaticinium appellabat, dicendo de abominatione desolationis, a propheta Daniele praedicta (Matth. XXIV. 15). Auctoritas Jesu Christi, Filii Dei et Salvatoris nostri, est utique omni catholico absoluta et per se summa: sed ex rationibus methodicis in apologetica ipsum testimonium Christi in quaestionibus disputatis sufficere nequit, quia ipsa verba Christi tali vel alio sensu, prout rationes postulant, intelligi et accipi possunt. Quaerendae itaque sunt aliae rationes, quae etiam verba Christi accuratius intelligere nos adiuvent.

Principalis ratio, qua messianica interpretatio fulcitur, ipse textus vaticinii est. Textus qua talis loquitur de rebus, quae iuxta communem sensum vaticiniorum et librorum Vet. Test. bona messianica constituunt, tempore messianico et per futurum Messiam adimplenda sperabantur. Sufficit ipsa verba allegare, et character messianicus huius vaticinii omnibus, qui bonae sunt voluntatis, patebit.

„Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt... ut consummetur praeparatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia et ungatur Sanctus sanctorum“ (IX. 24).

In hoc textu sola lectio Sanctus sanctorum disputata est, hebraica enim verba kadosh kadosh accipi possunt, ut Vulgata ponit, significatione personali et ad personam futuri Messiae referri, vel significatione reali Sanctum sanctorum et applicari loco sancto, templo, Ecclesiae Christi, vel etiam significatione abstracta sanctitati.

Cum simus certi quoad ipsa verba textus v. 24, possumus et de sensu illorum verborum iudicium ferre et bona messianica in illis agnoscere, quia Messias iuxta exspectationes Judaeorum ante Christum et iuxta textum aliorum vaticiniorum allaturus erat eiusmodi bona spiritualia, speciatim iustitiam sempiternam. Verbis igitur IX. 24 sensus messianicus tribuendus est, consequenter autem etiam verba sequentium versuum (IX. 25—27) sensu eodem sunt acceptanda, quia versus 24 cum 25—27 unum vaticinum exhibent et unam mentem revelare videntur.

Sensus messianicus affirmandus est etiam ex ulterioribus verbis huius vaticinii. „Et post hebdom. 62 occidetur Christus“ (IX. 26): quis nisi Christus Dominus? Potuit dubitari ante Chr. tempore Machabaeorum, sed difficile est dubitare post Christum. Oniam, qui perit Antiochiae, volunt hic videre quidam, inter eos

et Goettsberger et Michalski et ex protestantibus König et permulti alii.

Sed Onias periit testante II Machab. libro per invidiam fratrum suorum, qui volebant summum sacerdotium post eum obtinere, per Jasonem scilicet et Menelaum, non per Antiochum Epiphanem. Antiochus pro occidente Oniae suum praefectum Andronicum morte damnavit (II Machab. IV. 23—38). Antiochus Epiphanes ipse contristatus est animo propter Oniam et flexus ad misericordiam lacrimas fudit. „Andronicum purpura exutum in eodem loco sacrilegum vita privavit“ (II Machab. IV. 37—38). Non videtur conveniens, ut propheta in vaticinio de morte Oniae, tali modo per malitiam fratrum eius interfecti, tamquam de maximi momenti eventu in historia V. T. cogitaret. Alter autem res est, si hic Christum Jesum cogitatum esse accipiamus.

Nulla etiam positiva argumenta pro interpretatione horum verborum de occidente Oniae afferuntur. Neque Eduardus König, qui diligentissime sensum illorum versuum inquirit atque Oniam versu 26 referri accipit, positiva argumenta allegat, computatio autem, quam et ipse et permulti alii huic loco applicant, evidenter hypothesi de Onia repugnat.

Generaliter loquendo omni interpretationi syro-machabaeicae numeri hebdomadum hoc vaticinio positi repugnant. Neque Eduardus König propriam computationem cum factis epochae syro-machabeicae scit conciliare, ut eius expositio memorato iam libro *Die messianischen Weissagungen im Alten Testament* p. 305—314 facta demonstrat.

Si enim in explicando vaticinio Dan. IX. 24—27 terminum a quo accipiamus vaticinum Jeremiae de 70 annis (Jerem. XXV. 1 ss) anno 605 ante Chr. pronuntiatum, ab exitu istius prophetici sermonis ad mortem Oniae, qui a. 171 ante Chr. periit, numerarentur non hebdomades 7 et 62, ut textus Danielis postulat, sed solae 62, i. e. 434 anni. Propterea quidam bis numerant 7 hebdomades annorum, una vice applicando illos 49 annos adventui Cyri (König 559, secundum alios 539), altera vice autem addendo eos 62 hebdomadibus, ut ad mortem Oniae perveniamus.

Non melius res stat, si loco 605 annum 588 accipiamus, quia neque hac computatione interpretatio Oniaca cum numeris in vaticinio positis conciliatur. Facilius autem computatio cum textu vaticinii conciliatur, si pro termino a quo sermo Artaxerxis

Longimani pro aedificanda et munienda civitate accipientur, verba autem vaticinii de occidendo Christo applicentur ipsi Christo Domino.

In interpretatione enim messianica numerantur in continuo 70 hebdomades seu 490 anni. Terminus a quo accipitur decretum Artaxerxis, ut aedificantur muri Jerusalem, annus scilicet 20 vel 7 eius dominationis i. e. a. 458 vel 445 ante Christum. Addendo his annis adhuc 30—33 annos vitae et publicae actionis Jesu Christi obtineremus circa 488—490, respective 475—478.

Si Xerxes fecerit Artaxerxem iam vita sua corregnantem, possit computatio incipi ab 458 ante Chr. et annus mortis Christi Domini annus adimpletionis esset 70 hebdomadum. Haec computatio accipiebatur communiter et hodie communiter inter catholicos accipitur.

P. Franciscus Kugler S. J., celeberrimus assyriologus, astronomus et chronographus, opere suo *Von Moses bis Paulus*<sup>35)</sup> diligentissima perquisitione peracta concludit, Esdram cum comitibus revera anno 458, septimo anno regni Artaxerxis, Babilone in Jerusalem profectum esse. Ecce verba eius:

„Damit können wir getrost unsere Beweisführung beschließen. Die Tatsache, dass Esra mit seiner Karawane im 7 Jahre Artaxerxes' I (458 v. Chr.) von Babel nach Jerusalem zog, steht jetzt so fest, dass daran vernünftiger Weise nicht gezweifelt werden kann. Wir haben an das in Frage stehende Jahr nicht weniger als 15 Bedingungen gestellt, die sich aus der Natur der mit den einzelnen Tagdaten des Esrabuches verknüpften Ereignisse teils mit Sicherheit, teils mit Warscheinlichkeit ergaben... Allen diesen Bedingungen genügt das (7) Jahr Artaxerxes' I in vorzüglicher Weise und kein anderes irgendwie in Betracht kommendes Jahr leistet dies“<sup>36)</sup>.

Recte igitur computari possunt 70 hebdomades Danielis ab illo 458 anno ante Christum, quia hoc anno revera Judaei egressi sunt in Jerusalem praecedente Esdra revertentes, et finiuntur hebdomades illae circa annum 32 post Christum, seu circa annum mortis Christi. Eo modo P. Kugler confirmat traditionalem computationem et interpretationem huius vaticinii.

<sup>35)</sup> Münster in Westph. 1922.

<sup>36)</sup> *Von Moses bis Paulus*, j. w., str. 222.

Alio loco P. Kugler ponit et argumentis astronomico-chronographicis probat, alium egressum Judaeorum sub Nehemia factum esse 21 anno eiusdem Artaxerxeis I anno 445 ante Chr.<sup>37)</sup>.

Sed capi nequit, quomodo numerari possint 7 hebdomades et 62 hebdomades „usque ad Christum ducem“ (IX. 25) applicarique Cyro regi, et non Christo Domino. Ab ipso enim anno 605 usque ad 539 soli 70 anni, non 70 hebdomades numerantur. Utique etiam in computatione messianico-christiana testante disputatione van Bebber contra Raška<sup>38)</sup> difficultates occurunt, sed facilius solvuntur quam si adimpletio 70 hebdomadum ad tempora Machabaeica referatur.

Confirmabit autem pactum multis hebdomade una (IX. 27): quis capiat, haec verba ad aliquod pactum inter Antiochum Epiphanem et hellenisticam partem Judaeorum (I Mach. I. 45), non potius ad sempiternum pactum a Christo Domino in ara crucis confectum referenda esse?

Sensus itaque obvius ipsius textus computatioque annorum Jesum Christum et sensum messianicum vaticinii postulant.

Etiam praenuntiatio ruinae templi et urbis facilius applicantur expugnationi Jerusalem per Vespasianum et Titum, quam profanationi templi tempore Antiochi Epiphanis.

Christus videtur retulisse hanc praedictionem ad ruinam a. 70 post Chr. venturam, non ad tempora Epiphanis.

Facta enim ruina templi, desierunt oblationes et sacrificia Judaeorum, quae iam antea evanuerunt peracto sacrificio crucis. Quae igitur praedicta sunt a propheta v. 26 et 27, et in dimidio hebdomadis futura erant, haec omnia optime convenient morti Iesu Christi et sequelis huius mortis.

Scimus denique, cap. II et VII narrare visiones de quatuor regnis et de regno messianico, quod eis erat successorum et in aeternum duraturum. Eodem cap. VII revelatus est Filius hominis, qui nemo alias possit esse nisi solus Jesus Christus. Hae visiones certe sensum messianicum exhibent et in quo alio adimpletae videantur nisi in persona Iesu Christi? Et praevisa est (IX. 24) post 70 hebd. annorum adimpletio visionis et prophetiae.

<sup>37)</sup> Von Moses bis Paulus, Münster i. W. 1922, p. 224—225.

<sup>38)</sup> Van Bebber, Zur Berechnung der 70 Wochen Daniels. (Bibl. Zeitschrift 1906, p. 119—141.)

Haec omnia sunt inter se optime coniuncta et ad futurum Messiam spectant, ideo etiam vaticinium totum 70 hebd. sensu messianico est interpretandum. Sufficit comparare hoc vaticinio praenuntiata cum persona Jesu Christi eiusque sorte et morte, et sensus messianicus totius vaticinii per se appareat<sup>39).</sup>

Interpretatio igitur messianica vaticinii 70 hebd., quam iam Julius Africanus acceperat, etiam hodie ex omni parte videtur esse commodissima et convenientissima. Utique singula et specialia, prout in toto libro Daniel, ita et in hoc vaticinio vario modo explicari possunt.

Haec pro interpretatione messianica sunt dicta. Nunc eruendae sunt rationes, quae pro altera interpretatione, scilicet machabaeica vel critica dicta ab adhaerentibus allegari solent. Rationes pro hac altera interpretatione allatae complexae sunt et magna ex parte connectuntur cum eis, quae cap. IX in libro Daniel precedunt et sequuntur. Paucissimi solummodo, ut Eduardus König<sup>40)</sup>, interpretationem syro-machabaeicam ex ipso textu vaticinii probare conantur: alii autem communiter ad probandam thesim de sensu syro-machabaeico huius vaticinii ad alia capita libri Daniel appellant. In actionem veniunt piae ceteris capita XI et VIII, in quibus late et accurate narrantur bella inter regna Seleucidarum et Ptolemaeorum duxa.

Attentionem nostram summe merentur ea, quae s. Hieronymus de interpretatione Porphyrii et de rationibus ab eo allatis tradidit, ipsum enim Porphyrii opus periiit.

„Nullum prophetarum tam aperte dixisse de Christo — dicit Hieronymus — non enim solum scribit eum venturum, quod est commune cum ceteris, sed etiam quo tempore venturus sit docet et reges per ordinem digerit et annos enumerat et manifestissima signa praenuntiat“<sup>41).</sup>

Porphyrium non latuit, permultos eventus ex aliis fontibus historicis notos in libro Daniel, praesertim cap. VIII et XI, contineri. Porphyrius iuxta testimonium Hieronymi vidit se historiae

<sup>39)</sup> Notandum est, fautores interpretationis machabaeicae, testante etiam König (Die Messian. Weissagungen p. 315—316), brevissime et levissime tractare interpretationem messianicam, etsi rationes pro eorum propria explicatione machabaeica ipsis sufficere minime possunt.

<sup>40)</sup> Die messianischen Weissagungen im A. T., p. 286—316.

<sup>41)</sup> Migne P. L. XXV, col. 491 s.

veritate superatum, vidensque omnia esse adimpta, coepit id factum proprio modo explicare, affirmando, facta illa in illis capitibus esse post veros eventus narrata, non a propheta praedicta. Cognovit Porphyrius, multa illorum praedictorum temporibus Antiochi Epiphanis ipsi Antiocho eiusque regno esse applicanda.

Occurunt ex. gr. in cap. VIII et VII symbola „cornu parvum“, „parvulum“ vel „modicum“<sup>42)</sup>: symbola haec videntur convenire Antiocho Epiphani, qui quidem in cap. XI expressis verbis non nominatur, sed ex gestis, quae hoc capite narrantur, facile cognoscitur et communiter ab hodiernis bibliстis, etiam catholicis, revera agnoscitur. Potest Antiochus Epiphanes illis capitibus etiam ut typus futuri Antichristi intelligi, quod Hieronymus et multi alii accipiunt: attamen a nemine hodie negatur, in capite praesertim XI de historica persona Antiochi Epiphanis eiusque gestis agi.

Clarum hoc visum est Porphyrio, inde etiam clavem invenit, qua potuit sibi aperire viam ad propriam interpretationem introducendam contra christianam religionem. Omnes visiones Danielis in cap. VII—IX descriptae visae sunt ei narrationes historicae eorum, quae acciderunt populo Judaeorum tempore potissimum Antiochi IV, donec vinceretur ab Iuda Machabaeo. Igitur et vaticinium 70 hebdom. cap. IX visum est ei eisdem eventibus convenire, quia cum aliis visionibus propheticae partis libri Danielis connectitur.

Eo modo struxit sibi primus Porphyrius interpretationem machabaeicam, quae ob easdem et similes rationes etiam hodiernis criticis maxime placet et a pluribus, etiam catholicis, ut recta defenditur.

Inde intelliguntur verba Hieronymi ex prologo in librum Danielis de Porphyrio: Ea, quae in consummatione mundi de Antichristo futura dicuntur, propter gestorum in quibusdam similitudinem sub Antiocho Epiphane impleta contendat. Tanta enim fides fuit, ut propheta incredulis hominibus non videatur praedixisse, sed narrare praeterita<sup>43)</sup>.

„Narrare praeterita“ — affirmabat testante Hieronymo Porphyrius, quia permulta in cap. VIII et XI occurunt, quae revera acciderunt, proinde etiam aliis fontibus probantur. Certe tamen his capitibus res terrestres et facta historica, non eschatologica narrantur.

<sup>42)</sup> Et ecce cornu aliud parvulum est (VII. 8); de uno autem ex eis egressum est cornu unum modicum (VIII. 9).

<sup>43)</sup> Migne P. L. XXV, col. 491.

Etenim expressis verbis dicitur de Medis et Persis (VIII. 20); narratur de hirco caprarum magno facto nimis, ex cuius fracto cornu orta sunt quatuor cornua per quatuor ventos coeli. De uno autem ex eis egressum est cornu unum modicum et factum est grande contra meridiem et contra orientem (VIII. 8—9). Facile in illo hirco et quatuor cornibus cognoscuntur Alexander Magnus et diadochi, cum versu 21 eiusdem capituli angelus Danieli apparet explicaret ei, hircum esse regem Graecorum primum, quatuor cornua esse quatuor reges de gente eius (Graecos), non in fortitudine eius. Post eos autem surrecturus erat rex impudens facie et interficiet robustos et populum sanctorum.

In cap. XI iterum narratur de regibus Persarum, post quos surrecturus erat rex Graecorum fortis et dominabitur potestate multa (XI. 2—3) et regnum eius dividetur in quatuor ventos coeli.

In versu 5 et sequentibus narrantur accuratissime bella inter Seleucidas et Ptolemaeos, expeditiones, victoriae et clades, etiam matrimonia ex rationibus politicis contracta. Non nominantur quidem reges: sermo est solummodo de rege „aquilonis“ et de rege „austri“, sed omni proximum est, in illis regibus „aquilonis“ reges Syriae, in regibus vero „austri“ reges Aegypti cognosci.

Narratur de amicitia et de dolo inter illos reges. „Et post amicitiam cum eo faciet dolum, et ascendet et superabit in modo populo“ (XI. 23).

„Et revertetur in terram suam (rex aquilonis) cum opibus multis et cor eius adversus testamentum sanctum (Iudeorum erit); et faciet et revertetur in terram suam. Statuto tempore revertetur et veniet ad austrum (in Aegyptum), et non erit priori simile novissimum. Et venient super eum trieres et Romani et percutietur et revertetur et indignabitur contra testamentum sanctuarii (XI. 28—30). „Et polluent sanctuarium fortitudinis et auferent iuge sacrificium et dabunt abominationem in desolationem“ (XI. 31). „Et docti in populo docebunt multos et ruerint in gladio et in flamma“ (XI. 33).

Ope scientiarum profanarum exegetae explicant verba huius capituli, aliquando et minutissime, confirmando eo modo, in visionibus Danielis in cap. VIII et XI veras historias, vera gesta narrari et narrari oppressionem gravissimam, quam Judaei ex parte Antiochi Epiphanis passi sint.

Illa opressio Judaeorum per Antiochum Epiphanem accutius describitur in duobus libris Machabaeorum, ubi inter alia leguntur:

Et convertit Antiochus, postquam percussit Aegyptum in 143 anno (aerae Seleucidarum) et ascendit ad Israel et ascendit Jerosolymam et intravit in sanctificationem cum superbia et accepit altare aureum et candelabrum luminis et universa vasa eius et factus est planctus magnus in Israel et in omni loco eorum (I Machab. I. 21—26).

Et accepit spolia civitatis et succedit eum igni et destruxit domos eius et muros eius in circuitu (I Mach. I. 30 ss.).

Sanctificatio eius desolata est sicut solitudo (I Mach. I. 41).

Et scripsit rex Antiochus, ut esset omnis populus unus et relinqueret legem suam, et prohiberent holocausta et sacrificia et placationes fieri in templo Dei. Et iussit coinquinari sancta et iussit aedificari aras et templa et idola et immolari carnes suillas et relinquere filios suos incircumcisos (I Mach. I. 43—50).

Die 15-ma mensis casleu 145 anno aedificavit rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei (I Mach. I. 57).

Haec et alia similia ex libro Machabaeorum sunt quasi commentarii ad quasdam partes visionum libri Danielis et fortasse etiam ipsius vaticinii 70 hebdomadum, proinde proxima iam videbatur suppositio, in vaticinio hoc sermonem esse de abominatione desolationis, quae facta est per Antiochum, totumque hoc vaticinium in mente interpretationis machabaeicae esse accipiendum.

Eo modo generaliter sensus machabaeicus huius vaticinii, praeeunte Porphyrio, propugnatur et defenditur, et eiusmodi interpretationi nequit aliqua ratio abnegari, cum ad facta communiter hodie ut vera acceptata provocet.

Cum igitur utraque capitalis explicatio vaticinii Dan. IX. 24—27 aliquibus rationibus fulciri videatur, sed una solummodo alicuius textus litteralis expositio sit possibilis, iuste quaeri potest, quae ex duabus interpretationibus pro legitima et recta habenda sit et qua via ad inveniendam veritatem venire possumus?

## CAPUT III.

**Num necessario caput IX et vaticinium 70 hebd. ad mentem  
cap. XI et VIII explicanda sint?**

Catholica seu messianica interpretatio vaticinii 70 hebd. ex ipso tenore textus nascitur: interpretatio vero machabaeica seu critica praeprimis ex connexione cum aliis partibus libri Danielis, speciali modo cap. XI et VIII, quae rursus narrationibus librorum Machabaeorum illustrantur.

Prima pars huius affirmationis satis iam nota est ex priori capite, sed necessaria videtur accuratior explanatio partis secundae. Argumenta ad hanc alteram partem probandam quaeruntur apud hodiernos auctores, qui interpretatione critica occupantur eique adhaerent.

Aemilus Schürer in suo magnae auctoritatis opere *Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Chr.*<sup>44)</sup> scribit de libro Danielis, de eius origine et sensu inter alia sequentia:

„Das Auffallendste dabei ist dies, dass die Weissagung immer genauer u. detaillierter wird, je mehr sie sich der Zeit des Antiochus Epiphanes nähert. Die Geschichte dieses Königs wird geradezu, ohne dass sein Name genannt wird, mit aller Genauigkeit erzählt (XI. 21 ss.). Es wird noch die Abschaffung des jüdischen Gottesdienstes, die Entweihung des Tempels und die Aufstellung des heidnischen Opferaltars sowie der Beginn der makkabäischen Erhebung (XI. 32—35) geweissagt. Hiermit aber bricht die Weissagung plötzlich ab und der Verfasser erwartet nun, dass unmittelbar nach jenen Kämpfen das Ende eintreten und das Gottesreich anbrechen werde. Und es nicht etwa nur das XI Kapitel, wo die Weissagung mit dieser Zeit abbricht, sondern der Gesichtskreis des Verfassers geht überhaupt nicht über diese Zeit hinaus, auch nicht in den Gesichten von den vier Weltreichen.“

„Angesichts dieser Tatsachen wird heutzutage von allen Auslegern, die nicht schlechterdings durch dogmatische Gründe gebunden sind, anerkannt, dass unser Buch in der Zeit der makkabäischen Erhebung entstanden ist, und zwar genauer in

---

<sup>44)</sup> 4 Aufl. Leipzig, Hinrichs. 1909, III Band.

den Jahren 167—165 vor Chr., nämlich noch vor der Wieder-einweihung des Tempels; denn dieses Ereignis liegt noch ausserhalb des Gesichtskreises des Verfassers<sup>45)</sup>. Nur für diese Zeit hat das Buch überhaupt Sinn u. Verstand. Denn sein ganzer Inhalt ist auf praktische Wirkung eben in dieser Zeit berechnet“<sup>46)</sup>.

Haec adducta verba valent multum, quia procedunt ex ore scriptoris magnae auctoritatis et eruditionis.

In modestiori libro E. Sellin, *Einleitung in das Alte Testament* hac de re legitur: „Die ptolomäisch-seleucidische Zeit, desgleichen die Greuel des Antiochus Epiphanes gegen die Juden werden capitibus VII, IX, XI derartig spezifiziert geschildert, dass es unmöglich Weissagung sein kann, sondern Geschichte sein muss. Ja man kann die Abfassungszeit fast bis auf den Monat bestimmen. Nach VIII. 14 hat der Verfasser die Einweihung des Tempels durch Judas Makkabäus (vgl. I Mach. IV. 42—58) i. J. 165 bereits erlebt. Den Tod des Antiochus Epiphanes im Winter 164 kennt er aber nach XI. 40—45 noch nicht“<sup>47)</sup>.

In memorato iam commentario prof. Götsberger, auctoris catholici bonae notae, inter alia legitur:

„Von dem aber, was unmittelbar in die Augen springt, spricht so vieles sicher Deutbare für die makkabäische Zeit, dass sie kaum aus dem Gesichtsfeld des Propheten weggedacht werden kann. So steht Kap. IX zwischen Weissagungen, die nach allgemeiner Auffassung sich ausschliesslich oder vorwiegend mit der makkabäischen Zeit beschäftigen (vgl. zu Kap. VIII und zu Kap. XI ff.). Zudem lässt die enge sachliche Beziehung zu Kap. VIII erwarten, dass wir hauptsächlich Klärung und Ergänzung zu Kap. VIII, also zu einer makkabäischen Weissagung, in unserem Kap. IX finden werden. Die 2300 Abend-Morgen VIII. 14 decken sich sachlich u. der Ausdehnung nach mit der halben Jahreswoche von IX. 27 (vgl. auch XII. 7). „Der Frevel“ (VIII. 13—IX. 24) „die Volledung des Frevels“ (VIII. 23—IX. 24) „er wird zu Grunde richten“ (VIII. 24. f.—IX. 26) „Verwüstung“ u. ä. (VIII.

<sup>45)</sup> Altusio auctoris ad verba Dn. „Et dixit ei: Usque ad vesperam et mane dies 2300 et mundabitur sanctuarium“ (VIII. 14).

<sup>46)</sup> Geschichte des jüd. Volkes, p. 264—265.

<sup>47)</sup> Dr. E. Sellin, *Einleitung in das A. T.* Leipzig, Quelle u. Meyer 1910, p. 129.

13—IX. 27; vgl. XI. 31) zeugen nicht bloss für Aehnlichkeit von Ereignissen, sondern im Verein mit sonstigen Anzeichen für Identität der geschilderten Epoche. Schon in alter Zeit sah deshalb Josephus eine Erfüllung der Danielweissagung in der Makka-bärzeit (Antiq. XII. 7, 6) und eine spätere zur Zeit des Titus (ebd. X. 11, 7). Und um autoritativer Deutungen zu nennen, so entnimmt I Makk. I. 54 nicht ohne Grund „den Greuel der Verwüstung“ aus Dan. IX. 27, um die Untat Antiochus IV zu kennzeichnen. Während der göttliche Heiland den gleichen Ausdruck mit Berufung auf Daniel gebraucht, um die Zerstörung Jerusalems unter Titus u. die Endzeit zu schildern“ (Matth. XXIV. 15 f.; Mk. XIII. 14) <sup>48)</sup>.

Simili modo prof. Michalski de secunda parte libri Danielis, parte prophetica, et speciatim de capitibus VIII—XII, dicit, ea modo speciali occupari quarta monarchia, quae est monarchia Seleucidarum, et principali actore huius aetatis Antiocho Epiphane. Animadvertisendum est — loquitur auctor — cogitationes libri Danielis cap. IX—XI moveri principaliter circa Epiphanem. Auctor non negligit signare, mortuo Epiphane aliam monarchiam iam non surrecturam, sed apparitum regnum sanctorum“ <sup>49)</sup>. „VII. 15—28 i IX. 25—27 — ait prof. Michalski alio loco — mówią o tem samem, co zarazem jest jedynym prawie przedmiotem wizyj r. VIII i IX, czyli że osią, około której się obraca cały wysiłek myśli proroczej, jak wskazuje VII. 19, VIII. 13, 27, jest epoka Epifanesa“ <sup>50)</sup>.

Advertisenda etiam sunt, quae P. M. J. Lagrange O. Pr. de libro Daniel et de visionibus hoc libro contentis posuit: „Avant de parcourir chacune des visions eschatologiques, il ne sera pas inutile de montrer, qu'elles convergent toutes au même point, la persécution d'Antiochus Epiphane, considérée comme une grande épreuve, qui précède l'établissement du règne de Dieu.

„Tout le monde est d'accord, que le chap. XI doit s'interpréter du temps des Séleucides et de Logides et spécialement d'Antiochus Epiphane. Cela est concédé même par le P. Knabenbauer, et on s'entendait là-dessus déjà au temps de saint

<sup>48)</sup> Collectanea Theologica 1935 fasc. 4, p. 440.

<sup>49)</sup> Collectanea Theol. u. s. p. 441.

<sup>50)</sup> Collect. Theol. u. s. p. 441.

Jérôme, au moins jusqu'au v. 21. Porphyre, devancant avec une merveilleuse sagacité la critique moderne, avait compris, que Daniel visait Antiochus<sup>51)</sup>.

„Ce premier point admis, il faut en conclure logiquement, que la prophétie des semaines (IX. 24—27) s'applique aux mêmes événements, car les faits correspondent pas à pas“<sup>52)</sup>.

Etiam P. Buzy in studio *Les symboles de Daniel* de destructione templi cap. IX tradit, secundum interpretationem, quae multis videatur probabilissima, agi de devastatione templi, facta ab Antiocho Epiphane<sup>53)</sup>. Immediate autem postea auctor loquitur de c. XI v. 45, qui locus ad personam Epiphanis referendus est.

Attulimus opiones auctorum, acatholicorum et catholicorum, quae concorditer testantur, interpretationem vaticinii 70 hebd., machabaeicam stricte connecti cum aliis partibus libri Danielis, speciatim cum capitibus XI et VIII, quibus adiungendum sit etiam VII.

Pars prophetica, i. e.: cap. VII—XII, distinctam partem libri constituit. Narrantur in his capitibus facta monarchiarum Persarum et Graecorum, Alexandri Magni, Seleucidarum et Lagidarum, imprimis autem gesta Antiochi Epiphanis, qui maxime religionem Moysis populumque Legi Moysis fidelem opresso, ideoque Iudeis optime notus fuit.

Opiniones tot et talium doctorum nequeunt carere aliquo fundamento obiectivo, hoc clarum est.

Dicendo praecedenti capite de interpretatione machabaeica, nos ipsi attulimus aliquos locos parallelos ex libro Danielis, praesertim ex eius c. IX, et ex libro I Machabaeorum qui probare videntur, cap. XI certissime et primario de Antiocho Epiphane agi.

Epiphanes cap XI est inimicus veri Dei, religionem et cultum Dei vetabat, oblationes et holocausta abstulit, vetuit celebrari sabbata, statuam Jovis Olympii vel Capitolini in templo veri Dei posuit, illique sacrificia modo gentilium offerri iussit, multosque occidit. qui Legi Moysis fideles manere volebant. Abstulit Antiochus etiam vasa sacra de loco sancto in Jerusalem spoliavitque templum et urbem auro argentoque.

<sup>51)</sup> Revue Biblique 1904, p. 494 (Les prophéties messianiques).

<sup>52)</sup> Revue Biblique 1904, p. 495.

<sup>53)</sup> Revue Biblique 1918, p. 411.

Eius imaginem pingit auctor libri Danielis, dicendo XI. 36: „Faciet iuxta voluntatem suam rex; et elevabitur et magnificabitur adversus omnem Deum et adversus Deum deorum loquetur magnifica“. Propterea Antiochus Epiphanes ab exegetis christianis declaratur typus Antichristi, prout iam apud s. Hieronymum videmus.

Sed etiam cap. VIII dicitur de quodam rege origine Graeco, qui roborabitur et prosperabitur et interficiet robustos et populum sanctorum et contra Principem principum consurget (VIII. 23—25).

Eodem capite etiam leguntur haec: „Dixit unus sanctus alteri nescio cui loquenti: Usquequo visio et iuge sacrificium, et peccatum desolationis quae facta est, et sanctuarium et fortitudo conculcabitur? Et dixit ei: Usque ad vesperam et mane, dies duo millia trecenti; et mundabitur sanctuarium“ (VIII. 13—14).

Vesperae et mane designant iuge sacrificium, quod quotidie mane et vespere offerebatur. Numerus dierum 2300 vesperarum et mane (a sacrificio iugi) designat plenas dies 1150, i. e. fere  $3\frac{1}{2}$  annos, seu dimidium hebdomadis.

Eodem capite adhuc illa leguntur: De uno autem ex eis (quatuor cornibus) egressum est cornu unum modicum et factum est grande contra meridiem et contra orientem. Et magnificatum est usque ad fortitudinem coeli. Et usque ad principem fortitudinis magnificatum est, et ab eo tulit iuge sacrificium et deiecit locum sanctificationis eius (VIII. 9—12).

Conferendo nunc locos adductos in cap. XI et VIII, quisque cognoscit, agi his locis de eadem historica persona, de rege potenti, improbo, impudico, inimico cultui Dei veri et sanctis Dei. Utique de Antiocho Epiphanie agitur his locis.

Sed etiam quaedam capit is VII eidem regi applicanda esse videntur, quia hoc quoque capite talia leguntur: Et ecce aliud cornu parvulum ortum et de medio eorum (decem cornuum). Et ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto, et os loquens ingentia (VII. 8).

Idem rex, qui in symbolo cornus parvuli repreäsentabatur, describitur his verbis: Potentior erit prioribus et tres reges humiliabit, et sermones contra Excelsum loquetur et sanctos Altissimi conteret et putabit, quod possit mutare tempora et leges.

Et tradentur in manus eius usque ad tempus et tempora et dimidium temporis (VII. 24—26).

Non est dubitandum, quin et his in locis (cap. VII) sermo sit de eodem rege Antiocho Epiphane, quia et gesta et verba magna ex parte eadem in omnibus his capitibus occurrunt.

In cap. X nihil dicitur de cornu parvulo (VII) nec modico (VIII), nec de rege Aquilonis, qui superaret regem Austri et alios, totum enim hoc caput alium characterem praestat. Non gesta in terris hoc capite describuntur, sed visiones angelorum. Agnoscitur tamen quidam nexus huius capitatis cum aliis, quia Daniel vocatur hic (X. 11), ut et c. IX. 23 „vir desideriorum“, et apparent ut patroni monarchiarum et populorum angeli „princeps regni Persarum“, „princeps Graecorum“, Michaël denique, unus de principibus primis, ut adiutor Danielis populi Judaeorum. Qui angeli „principes“ certo repraesentant regna et populos, de quibus cap. VII, VIII et XI narratur.

Nunc de cap. IX, in quo vaticinium nostrum 70 hebdomadum occurrit.

Iam prof. Götsberger posuit quasdam parallelas expressiones, ut „dimidium hebdomadis“ „peccatum“ et alia, ad probandam mentem communem omnibus istis capitibus libri Daniel. Nos supra notavimus communem cap. X et IX expressionem de Daniele „vir desideriorum“. Similes loci paralleli et parallelae expressiones inter cap. IX et alia capita dantur plures:

Ablatio iugis sacrificii et abominatio desolationis commemorantur IX. 26—27; VIII. 11, 13; XI. 31; XII. 11.

Tempus, tempora, dimidium temporis (hebdomadis): IX. 25 (7 + 62), 26 (62), 27 (dimidium); VII. 25; XII. 7.

Angelus Gabriel occurrit c. VIII. 16 et c. IX. 21 cum mandato, ut doceret Danielem.

Praedicti parallelismi certe aliquem nexum cap. IX cum aliis (VII, VIII, XI, XII), probare videntur. Praesertim desolatio, peccatum desolationis VIII. 13 videntur esse parallela cum abominatione desolationis cap. IX. 26—27 et pro temporibus machabaeorum, i. e. pro abominatione et desolatione in loco sancto ab Antiocho Epiphane paratis, haud dubie testari possunt.

Certo cum capitibus VII, VIII, XI, aliquo modo etiam X et XII connectuntur et ideo de eventibus historicis et realibus temporum Antiochi Epiphanis narrare videntur. Cum igitur ex ipso libro

Daniel exque libris Machabaeorum evidens sit, Antiochum profanasse templum et altare, auferendo verum cultum Dei veri, statuendoque in loco sancto idolum, abominationem desolationis fecisse — facile iam cum criticis admitti possit, etiam vaticinium Dan. 24—27 sensu Machabaeico esse explicandum.

Sed sitne talis ipsa interpretatio etiam necessaria? Sitne revera connexio capitinis IX cum XI et VIII eiusmodi, ut necessario talis explicatio ut unice recta etiam commendari debeat?

Etiam schola traditionalis catholica suam interpretationem messianicam gravibus rationibus probare conatur et hoc ipsum iam contra illam necessitatem testari possit.

Connexio capititis IX cum aliis non videtur esse talis, ut interpretatio eius ad mentem cap. XI et VIII necessaria fiat, cum etiam contra hanc hypothesim gravia dubia moveantur.

Etenim caput IX distinctam visionem narrat, ad quam Daniel sese praeparabat longiori oratione ad Deum. Capite hoc nihil dicitur de Persis, neque de Graecis, neque de cornu parvulo vel modico, neque de rege Aquilonis, neque de bellis Seleucidarum et Lagidarum, neque de ipsis monarchiis, quarum fata cc. II, VII, VIII et XI narrantur.

Cap. IX dicitur de sola liberatione populi Israël de exsilio Babylonico ad mentem prophetiae Jeremiae. Propheta Daniel c. IX orat pro populo, pro delictis populi, poenitentiam agit, sese humiliat: Deus autem, ut consolaretur eum, angelum Gabrielem misit, qui doceret eum de iis, quae ventura essent.

Quia igitur hoc capite nihil ad tempus Antiochi alludit, sermoque expressus est de exsilio Babylonico ac de liberatione populi ex illa servitute, non videtur hoc caput tempore Antiochi redactum, neque ad tempora Antiochi referendum.

Principalis revelatio videtur esse versu IX. 24, quia hoc versu annuntiantur, quae post 70 hebdomades annorum (490) ventura erant, et varia bona spiritualia enumerantur, quae a Messia futuro sperari solebant: Ut consummetur praevaricatio et finem accipiat peccatum... et adducatur iustitia sempiterna et impleatur visio, etc. Ad mentem huius versus fieri debet interpretatio versuum sequentium, quia versus 24 cum sequentibus 25—27 unum totum, unum vaticinum constituere videtur.

Bona haec spiritualia vix ac ne vix temporibus Machabaeorum applicari possint, sed debite applicari possunt operi Christi Domini.

Potueritne auctor huius vaticinii, si circa a. 165 ante Christum illud scriberet, antequam Antiochus devictus esset, cum Victoria Judae Machabaei vix coepisset et templum nondum purificatum esset, iustitiam sempiternam annuntiare?

Utile et facinora Antiochi erant „praevaricatio“ „peccatum“ „iniquitas“, et potuit sperare propheta, haec omnia miserrante Deo finem habitura: sed nonne similia etiam a Messia futuro sperabantur et a Deo revelata esse poterant Danieli?

Nonne porro hoc vaticinium continuatio sit eorum, quae Propheta dixerit cap. II de lapide abscisso sine manibus a monte, et cap. VII de Filio hominis et de regno sanctorum?

Caput IX neque cum c. VIII immediate connectitur, neque cum c. X, eo minus cum XI.

Initio huius capituli ponitur tempus, quo data est prophetae revelatio seu visio cum vaticinio de 70 hebdomadibus. Ad quid haec visio connexa sit cum 70 annis Jeremiae et cum temporibus babylonico-persicis? Fictio litteraria, prout etiam in aliis capitibus huius partis libri, c. VII, VIII et X et XI? Et quomodo haec fictio psychologice explicari possit? Ut Daniel infroducatur, sicut in libro Henoch hic patriarcha antediluvialis?

Utile haec omnia sunt quidem possibilia, sed parum probabilia, absolute vero non necessaria.

Non videtur itaque necessarium, visionem capituli IX cum cap. VIII et XI connecti, neque vaticinium c. IX ad mentem c. VIII et XI interpretari, quia potest contra ea supponi, capita VIII et XI, partim etiam VII, ad mentem cap. IX esse constructa. Potest et talis hypothesis ponи.

Vaticinium scilicet 70 hebdomadum et totum cap. IX possunt esse opus ipsius prophetae Danielis et pertinere ad antiquiores partes libri Danielis, narrata autem in cap. VIII et XI, partim et VII, possunt esse originis revera temporum Machabaeorum et aliquo modo a capite IX dependere.

Si talis etiam hypothesis admittatur, non caput IX et vaticinium 70 hebdomadum ex capitibus XI et VIII, sed haec capita ex illo IX explicanda erunt.

Quaestio haec tamen solummodo investigata quaestione de origine et compositione libri Daniel solvi potest, propterea ad hanc quaestionem novam, de vero autem antiquissimam sequenti capite accedo.

#### CAPUT IV.

##### **De origine et compositione libri Daniel.**

Iterum cognoscamus primo opiniones in hanc quaestionem hodiernorum criticorum et doctorum, qui rem competenter investigabant. Aliquos textus Aemilii Schürer, Sellin, P. Lagrange, iam cognovimus, alii autem similes cognoscentur.

Quaestio originis et compositionis libri Daniel, deficientibus certis et claris ad hanc rem criteriis sive externis sive internis, difficilis et complexa est, ideo etiam opiniones auctorum multum variantur. Quae hic afferuntur, saepissime characterem generalem, non praecisum, aliqualiter obscurum, habent. Accuratus tamen res patebit cognitis opinionibus plurium competentium auctorum.

P. m. Vetter, cum recenset librum catholici biblistae Pauli Riessler *Das Buch Daniel*, inter alia sequentibus verbis opinionem auctoris de compositione libri Daniel exprimit: (Riessler) „unterscheidet zwischen dem ursprünglichen u. später erweiterten Buche Daniel. Ersteres wurde in der persischen Zeit abgefasst, die zahlreichen u. umfassenden Interpolationen aber, welche das ursprüngliche Buch zum kanonischen Danielbuche erweiterten, stammen aus der makkabäischen Zeit. Diese Annahme beeinflusst vorzugsweise die Erklärung der Kapitel IX u. XI, zum Teil auch die der Kapitel VII u. VIII“<sup>54).</sup>

Auctor recensionis libri Riessler notat, Riessler affirmationes suas solidis argumentis non probasse: attamen ipsam opinionem Pauli Riessler plenam attentionem certo mereri.

Opinio haec tamen auctoris Riessler in libro eius *Das Buch Daniel*<sup>55)</sup> non videtur clare esse expressa. In capite 3-o Prooemii auctor loquitur de origine, de auctore, de fatis huius libri breviter nullis allatis claris argumentis. Distinguit obscure inter partes antiquiores et posteriores. De visionibus generaliter dicit

---

<sup>54)</sup> Theologische Quartalschrift, Tübingen 1903, p. 295—297.

<sup>55)</sup> Wien, Mayer 1902.

eas velle a Daniele propheta conscribi, nihilque tali praetensae origini earum opponi. Dicit de variis collectionibus capitum, sed nihil clare et praecise in his exponit.

Ex his, quae in eius „Einleitung“ leguntur<sup>56)</sup>, coniici potest, secundum eius opinionem capita Dan. IX et XI posse accipi ut longiores glossas tempore Machabaeorum redactas, sed incertum est, utrum integra haec capita, an solae aliquae partes eorum pro glossis, seu pro interpolationibus sint habendae.

Accipit ergo auctor Riessler, librum Danielis et varia eius capita subiisse temporibus Machabaeorum mutationes, multaque ex iisdem temporibus esse inserta.

Multum in hac quaestione posuit Meinhold im *Kommentar zum Buch Daniel*<sup>57)</sup>. Auctor negat authentiam libri Daniel, et argumenta affert contra opinionem traditionalem, regnante in synagoga et apud christianos. Dubia, quae contra authentiam huius libri posuit, communiter nota sunt, propterea omittimus ea hoc loco. Magni vero interest nobis alia ex eius observationibus cognoscere, quae ad rem nostram sunt.

Meinholt inter alia observat: „Je näher die Weissagung dem Exil, also der Gegenwart des (vermuteten) Verfassers, kommt, desto grössere Lücken sich finden; je tiefer er herabgeht, desto genauer u. spezieller die Ausführungen werden. Und diese Ausführungen haben es zum grossen Teile nicht einmal mit den Geschicken des jüdischen Volkes zu tun. So XI. 2—30. Mit dem Ende des Antiochus aber, welches selbst unrichtig angegeben wird (XI. 40—45)<sup>58)</sup>, verliert sich der Weg in vollständiges Dunkel.“

<sup>56)</sup> In der Makkabäerzeit scheint das Interesse am Buch Daniel besonders gross gewesen zu sein; erblickte man ja in Antiochus IV Epiphanes den Gottesfeind des vierten Reiches. Die Frucht dieses Interesses waren die Glossen, in denen, gleichsam zur Illustrierung des Prophetenwortes, die zeitgeschichtlichen Ereignisse auf den Rand des Textes notiert wurden. Damals entstanden die umfangreichen Glossen, besonders der Kapitel 9 u. 11. In diese Zeit mag auch die Einfügung der griechischen Lehnwörter in cap. 3 fallen (Das Buch Daniel, p. XII).

<sup>57)</sup> Kurzgefasster Kommentar zu den heil. Schriften A. u. N. Test., von Strack u. Zöckler. Das Buch Daniel, Nördlingen 1889.

<sup>58)</sup> V. 40—45 obscuri sunt. In Vulgata mors Antiochi expressis verbis non occurrit, sed occurrit textu hebraeo, in quo post verba „summitatem eius“ (montis) posita sunt „veniet ad finem suum“, quae verba ad mortem Antiochi referenda sunt.

Das alles erklärt sich nicht bei der Annahme exilischer Entstehung. So hat man von jener Abfassung in der babylonischen Verbannung (*opinio traditionalis*) Abstand genommen u. die ganze Schrift als ein Erzeugnis der Makkabäerzeit angesehen. Und das ist in Bezug auf die hebräischen Abschnitte (VIII—XII) unzweifelhaft das Richtige. Von hier aus lösen sich alle jene Rätsel mit Leichtigkeit. Nun glaubte er, wie seine Zeitgenossen, das Ende unmittelbar bevorstehend, darum schliesst sich das Wort von der Endzeit<sup>59)</sup> unmittelbar an den Tod des Antiochus an“<sup>60)</sup>.

*Meinholt loquitur postea de Antiocho, per Paulum Apostolum II Thess. II. 4 facto Antichristi typo, et de verbis Christi (Matth. XXIV. 15; Mr. XIII. 14), quae verbis Dan. IX. 24 s. sensum eschatologicum tribuere videntur. Post haec autem de ipsa origine et compositione libri Daniel tali modo mentem suam aperit:*

„Wir haben uns die Entstehung der Schrift etwa in folgender Weise vorzustellen: Etwa um 300 entstand eine aramäische Schrift, welche an den auf Überlieferung zurückgehenden Geschichten des Daniel u. seiner Genossen zu zeigen suchte, wie Israel unter der Herrschaft der Heiden durch treues Beharren an seiner Religion die Heilszwecke Gottes an der Welt fördern helfen müsse. In diesen Geschichten, welche allgemein bekannt waren (I Makkab. II. 59 s.), erscheint Daniel als ein mit besonderer Weisheit begabter Mann, welcher auch durch das Beispiel seines Lebens zur Treue gegen Gott ermannte. Und so wurden die Abschnitte Dan. II—VI der makkabäischen Schrift zur Verleihung grösserer Autorität vorangeschickt, ohne dass der Verfasser sich zu einer durchgreifenden Änderung befugt glaubte, und daran dann die Ermahnungen des Verf. im Sinne u. Geist des Daniel angeknüpft. Als eine solche wird auch wohl c. VIII zu gelten haben. In dem 4 Tier ist wohl Syrien, in dem elften Horn desselben Antiochus zu sehen. Dass es in aramäischen Sprache geschrieben, würde sich aus der Anlehnung an Kap. II und dann bei dem Gesamtredaktion zu Kap. II—VI gefügt wurde<sup>61)</sup>.

*Quae verba Meinholdi in concordia sunt quoad essentiam cum citata iam opinione Schürer et Sellin. Similis est opinio etiam*

---

<sup>59)</sup> XII. 1—3 loquuntur de fine mundi et de resurrectione mortuorum, immediate post finales versus c. XI. 40—45.

<sup>60)</sup> Das Buch Daniel p. 261.

<sup>61)</sup> Das Buch Daniel p. 262.

alius critici protestantis, qui hac quaestione occupabatur, Caroli Marti. Criticus hic accurate assignat tempus, quo liber Danielis exaratus est: „Nach 168 v. Chr. (nach der Sistierung des jüdischen Kultus) und vor Dezember 165 v. Christ. (vor der Wieder-einweihung des Heiligtums). Da der Verfasser alle Hilfe allein von Gott erwartet, so können bei ihm die makkab. Erfolge der Jahre 166 u. 165 eine „kleine Hilfe“ (XI. 34) heißen<sup>62)</sup>.

Marti notat, primam mentionem libri Daniel factam esse oraculis Sybillinis III 388—400 circa 140 ante Chr. exaratis et I Machab. II. 59 circa a. 100 ante Chr. scripto<sup>63)</sup>.

Etiam veteres traditiones in libro Daniel Marti agnovit, unde et nomen Danielis et argumentum partis historicae (I—VI) sumpta sunt. Traditiones antiquae confirmatae sunt aliis libris V. T., posteriori litteratura Judaeorum et alia litteratura orientali, ideoque narrationes istae non sunt habendae pro fictis ab auctore saeculi II<sup>64)</sup>.

Schürer, Meinholt, Sellin, Marti ad castra criticorum protestantium pertinent: sunt etiam quaedam nomina catholiconrum, praeter citatum iam Paulum Riessler ponenda.

P. M. J. Lagrange, cuius opinionem ad hanc quaestionem iam supra cognovimus, et prof. Michalski, qui tamen studio suo iam citato quaestionem originis libri Daniel tractare non intendit, videntur adhaerere opinioni criticorum supra memoratorum.

Prof. Götsberger conatur tenere opinionem moderatam et intermedium inter opinionem criticam et traditionalem. Contra scholam criticam scribit, eam solummodo ex quadam necessitate, arte et vi, librum Danielis ut librum ad consolandos Judaeos temporis Machabaeorum conscriptum habere. Origo libri circa a. 300 ante Chr. ex rationibus linguisticis videtur ei admissibilis. Verus auctor libri ignotus est. Notanda sunt sequentia verba eius:

„Kommt es nicht genau auf die gegenwärtige Form des Buches u. die vorliegende Einordnung seiner Bestandteile an, dann sind die Einwände gegen unmittelbare Herrkunft aus Daniels Hand nicht mehr so wirksam u. die Eigenart des Inhalts der Prophetenschriften lässt nicht leicht daran glauben, dass sie von Epigonen in tiefer greifender Umgestaltung der ursprünglichen

<sup>62)</sup> Das Buch Daniel, Tübingen Mohr 1901, p. XIV.

<sup>63)</sup> Das Buch Daniel, p. XII.

<sup>64)</sup> Marti, Das Buch Daniel u. s. p. VIII.

Fassung entkleidet werden wären. Die wechselvolle Geschichte, die unser Buch durchlaufen musste, ehe es in die gegenwärtige Form gegossen wurde, legt es nahe, weitgehend den Grundstock des Buches in die Zeit des Daniel zurückzuverlegen“<sup>65)</sup>

Probabile igitur auctori videtur, medullam, essentialem partem libri a Daniele oriri, sed non docet accuratius, quae ad illas partes Danielis sint referenda.

Maximilian Streck similem opinionem tenere videtur: „Der Grundstock von Daniel reicht mindestens bis in den Beginn der Perserzeit hinauf, und zwar wird seine Heimat der babylonische Boden sein. Die Schlussredaktion des Buches muss dann allerdings viel später, und möglicherweise erst im 2 Jahrh. vor Chr. in Palaestina erfolgt sein“<sup>66)</sup>. Idem auctor notat, nullum alium librum tam specialem babylonicum colorem habere quam liber Danielis<sup>67)</sup>.

Streck innititur principaliter argumentis linguisticis. Eius opinio cum opinione Götsberger identica videtur, sed 30 fere annos antea est publicata.

Dr. Aemilianus Schöpfer suo libro *Geschichte des Alt. Test.*<sup>68)</sup> similem opinionem enuntiat, dicendo: „In unserer Zeit ist aber die Ansicht aufgetreten, dass das Buch, wenigstens in seiner jetzigen Form, viel später, nämlich erst in der Makkabäerzeit, verfasst worden ist. Damit wäre der Danielsche Ursprung einzelner Teile, speziell der Ichstücke, immerhin vereinbar. Aber auch diesen wird eine so frühe Entstehung abgesprochen, auch sie werden in die Makkabäerzeit verlegt“<sup>69)</sup>.

Attendenda sunt et alia verba huius auctoris: „In neuer Zeit haben auch katholische Exegeten diese Ansicht (traditionelle) verlassen, weil eine derartige Weissagung, so lange Zeit vor der Erfüllung so ins Detail gehend in der hl. Schrift ohne jede Analogie dastehe und darum auch ganz unwahrscheinlich sei<sup>70)</sup>.

<sup>65)</sup> Dr. Joh. Götsberger, Das Buch Daniel, Bonn 1928, p. 6.

<sup>66)</sup> Dr. Maxim. Streck, Die Ursprache des Buches Daniel (Bibl. Zeitschrift 1906), p. 249.

<sup>67)</sup> Ibidem p. 252.

<sup>68)</sup> Natur u. Kultur 6 Aufl., München 1923.

<sup>69)</sup> Geschichte d. A. T. p. 585.

<sup>70)</sup> Ibidem p. 586.

J. B. Pelt opinionem traditionalem defendit, sed sensu mitigato, moderate enim notat, saltem certos partes libri (non ergo omnes) scriptas esse a Daniele<sup>71)</sup>.

*Commentarius in Danielem Prophetam* P. Knabenbauer modo classico antiquam traditionem defendit et Danielem auctorem totius libri tenet, curatque thesim suam probare criteriis internis et externis. Testimonium Christi ut grave et solemne accipit<sup>72)</sup>. Appellat testimonia et I Machabaeorum. Huic ultimo libro epocham 170—160 ante Chr. assignat. Dubia et argumenta rationalistarum et adversariorum respuit.

Eo magis audiendus est alter classicus defensor traditionis christiana, qui tamen quaedam dubia et quasdam difficultates silentio tegere non vult — Trochon<sup>73)</sup>, cuius Commentarius Commentario P. Knabenbauer quosdam annos praecessit.

Trochon notat, plures criticos catholicos non admittere definitivam redactionem libri Daniel ab ipso Daniele propheta esse factam et allegat opinionem erudit Quatremère, aliam Dr. Hanneberg, aliam denique orientalistae celebris Lenormant, qui omnes tres caute et cum restrictionibus de Danielica origine huius libri tenebant.

„C'est fut peut-être longtemps après la mort de ce prophète (Daniel), que l'on songea à former cette collection („ces fragments curieux“), à laquelle on donna son nom. Et cette circonstance suffit peut être, pour expliquer, comment le livre de Daniel fut connu en Judée beaucoup plus tard“ — dicit primus eorum.

„Le livre de Daniel tel, que nous avons, n'a pas été rédigé par Daniel lui-même“ — dicit alter.

Mais le fond — der Grundstock dicebant quidam critici catholici Germaniae — remonte bien plus haut; il est empreint d'une couleur babylonienne, parfaitement caractérisée“ — dicit Lenormant.

Trochon non fert sententiam suam contra praedictas restrictiones. Dat ipsi lectori facultatem iis opinib[us] adhaerendi, si quis argumentatione sua (ipsius Trochon) pro plena authentia

<sup>71)</sup> J. C. Pelt, *Histoire de l'Ancien Test.* Tome second. 6 ed. Paris Lecoffre 1912, p. 366.

<sup>72)</sup> *Commentarius in Dan.* Parisiis, Lethielleux 1891, p. 20, 25.

<sup>73)</sup> *La sainte Bible — Les prophéties Daniel.* Paris, Lethielleux 1882.

libri Daniel satisfieri non velit<sup>74)</sup>. Citat praeterea ex articulo Auberlen in *Dictionnaire de la Bible* passum de tanta extraordinaria et accuratissima fidelitate in narratione eventuum historicorum cap. XI, qualis in tota alia Scriptura sacra non occurrit.

L. Bigot in dissertatione in *Dictionnaire de Théologie Catholique*, loquendo de auctore libri Daniel, ponit utramque opinionem, traditionalem nempe et criticam, exponit utriusque argumenta et rationes, sed ipse in his rebus non decidit, neque traditionalem absolute defendit, neque criticam absolute reiicit<sup>75)</sup>. Utique auctor aliquam rationem habuit, quare propriam opinionem in hac re neglexerit.

Collectis opinionibus plurium auctorum, catholicorum et acatholicorum, poterimus ex eis quasdam conclusiones coniicere.

Notandum est primo, omnibus fere biblistis, etiam catholicis hodiernis, communem esse opinionem, librum Danielis hac forma, qua in canone habeatur, non esse opus ipsius prophetae Danielis, sed redactoris vel redactorum posteriorum.

Rationes, quibus haec opinio fundatur, sunt plures.

Argumenta linguistica, quod nempe in textu vocabula graeca, ut symphonia, vel pauca vocabula persica occurrant, aut quod lingua hebraea et aramaica huius libri non tam aetati babylonicae, sed potius temporibus convenienti posterioribus, sunt levia, quia haec omnia facililime explicari possint, admissa etiam authentia huius libri sensu pleno.

Sicut enim in textu Pentateuchi, cuius mosaica origo a *Pontificia Commissione de re biblica* firmissime defenditur, ab eadem Commissione admittuntur saeculorum decursu nonnullae modificationes, uti additamenta, glossae et explicationes textui interiectae, vocabula quaedam et formae a sermone antiquato in sermore recentiorem translatae<sup>76)</sup> — sic etiam in libro Daniel quaedam mutationes linguistiae et stylisticae facililime cum origine Danielica totius libri conciliari possint.

<sup>74)</sup> La sainte Bibl. Daniel p. 57—58.

<sup>75)</sup> *Dictionnaire de Théologie catholique* t. IV. 1, col. 71—73.

<sup>76)</sup> *Declarationes Pontif. Comm. de re bibl.* 27 Junii 1906, *Responsum IV.* (*Enchiridion Biblicum. Romae* 1927, p. 63).

Maioris momenti esse videntur ea, quae de historia ipsius libri referuntur.

Omnes exegetae norunt, librum hunc in canone Judaeorum non inter prophetas, ut in Septuaginta et in Vulgata, sed inter Ketubim i. e. inter libros sacros, tertiam sc. categoriam librorum in canone Scripturae S. Judaeorum, positum esse; neque Daniel nem neque librum eius commemorari *Ecclesiastico* c. 49, etsi ibi Ezechiel et Nehemias, Zorobabel et Jesus filius Josedec, etiam Henoch notissimus ex apocryphica litteratura judaismi posterioris, commemorentur. Possit inde concludi, librum Danielis eo tempore nondum extitisse, vel nondum insertum esse in canonom librorum sacrorum.

Notum est item omnibus, librum hunc scriptum esse lingua aramaica, hebraea et graeca. Aramaica sunt capita II—VII, hebraica c. I et VIII—XII, graeca c. XIII—XIV <sup>77)</sup>. Si ipse Daniel totum librum, ut hodie datur, componeret, probabilissime scriberet eum una lingua, hebraea vel babylonica, non autem pluribus linguis. Non enim, ut in libro Nehemiae et Esdrae, de solis documentis publicis, quae utique officiali lingua babylonica redigebantur, agitur, sed de parte narrativa libri. Facilius autem haec diversitas usitatae linguae explicatur, si admittantur plures et variorum temporum redactores, aut si accipientur singula fragmenta, quae in viva traditione conservarentur, postea vero in unum librum collecta sint.

Et hoc non est parvipendendum, librum canonicum Danielis in canone Hebraeorum capite XII finiri, in versione autem graeca etiam capita XIII et XIV addita esse. Factum hoc supponere permittit, tempore, quo liber Danielis in canonem Hebraeorum insereretur, nondum omnia fragmenta ex antiqua traditione Danielis in unum librum collecta esse, ideoque interpretes graeci ea suplenda esse putarunt et de facto dua novissima capita libro canonico Hebraeorum adiunixerunt. Utique hoc quoque testari videtur contra Danielicam originem totius libri, licetque supponere posteriorem redactionem, pluresque auctores vel redactores in cursu temporum libri.

Utique et hae difficultates a catholicis biblistis aliquo modo superantur, sunt tamen: facilius autem solvuntur, si posterior compositio totius libri, non Danielica, admittatur.

---

<sup>77)</sup> Brevitatis gratia minime latius hac de re loquimur.

Afferuntur porro difficultates contra Danielicam originem totius libri ex aliquibus datis obscuris, quae cum certis factis historicis difficillime conciliantur. Ex. gr. Baltassar (scriptio Vulgatae) V. 2 vocatur filius Nabuchodonosori, qui vocatur pater eius. Notum est tamen ex historia et ex inscriptionibus cuneiformibus, Baltassarum neque filium Nabuchodonosori, neque eiusdem dynastiae regnantis semen, neque immediatum Nabuchodonosori successorem fuisse<sup>78)</sup>.

Item cap. XI. 1 et aliis locis Darius Medus regnare dicitur, qui in historia Persarum et temporibus Cyri ignotus est.

Eodem capite v. 2, regnante Cyro, soli tres reges Persarum praenuntiantur et quartus concitatus erat omnes adversum regnum Graeciae (Alexandrum Magn.). Utique a Cyro usque ad Alexandrum Magnum, regem Graeciae, qui monarchiam Persarum delevit, plures reges erant, non quatuor. Multae igitur difficultates in libro Daniel inveniuntur.

Darius Medus certo distinguendus est a Dario, posteriori successore regis Cyri et Cambysis, filio Histaspis. Identificandus sit Darius Medus cum Astyage, Dan. XIII. 65, qui iuxta Herodotum sacer Cyri fuerit?

Dicitur propterea de aliquibus lacunis et obscuratibus in libro Daniel relate ad tempora babylonica et persica, accurate autem narrantur facta historica ex epocha Seleucidarum et Machabaeorum. Haec etiam multo facilius explicantur, non accepta origine Danielica totius libri Daniel, admissa vero posteriori compositione libri per plures et varios auctores.

Maximi momenti tamen in quaestione originis et compositionis libri Daniel contra originem eius Danielicam, ut ex citatis capitibus et opinioribus Schürerii et aliorum patet, sunt illa accuratissima facta historica ex epocha Seleucidarum et Machabaeorum, quae hoc libro parte prophetica narratur, praeprimis cap. XI. Similis accuratissima narratio historiae, etiam profanae, ut notant catholici quoque auctores, aliis libris sacris non datur. Quare autem haec singularis descriptio in hoc libro datur solummodo relate ad tempora Seleucidarum et Machabaeorum, non

---

<sup>78)</sup> Cfr. Schrader-Zimmern, Die Keilinschriften u. das Alte Testament. 3 Aufl. Berlin, Reuther 1902, p. 110 s. Batassar iuxta inscriptionem cuneiformem scribitur Bel-šar-ussur; prof. Michalski et alii scribunt illud Belšaccar.

vero detur relate ad tempora babylonico-persica, neque relate ad tempora post mortem Antiochi Epiphanis (164 ante Chr.)?

Haec multo facilius explicantur, si admittatur aliquis auctor vel redactor ex temporibus Antiochi et Machabaeorum, historiae istius epochae optime gnarus, qui accurate de eventibus illorum temporum, de maxima oppressione, quam passi sint fideles Dei, inspirante Deo scribere voluit. Difficilior autem res fieret, si necessario ipse propheta Daniel pro auctore totius libri canonici valere deberet.

His omnibus perpensis, iusta videtur conclusio, quam etiam catholica apologetica accipere possit, prophetam Danielem non esse auctorem totius libri eius nomine appellati, qualis inveniatur in nostro canone librorum sacrorum; sed posse accipi plures autores vel redactores libri, diversa aetate viventes, quorum unus tempore Machabaeorum totum hunc librum ordinaverit, formamque ei hodiernam dederit. Fortasse et lingua hebraea, in qua redacta est secunda pars libri Daniel, hac posteriori redactione istius partis explicari possit.

II. Admissa prima<sup>7</sup> conclusione, admittenda videtur esse et altera, nempe quasdam partes libri Daniel exaratas esse, vel saltem redactas, temporibus post Daniel, probabiliter etiam aetate Seleucidarum et Machabaeorum.

Eadem rationes, quae ad probandam primam conclusionem allatae sunt,<sup>8</sup> admissibilitatem quoque huius alterius conclusionis probare videntur.

III. Sed item partes antiquae, temporibus babylonico-persicis exaratae, probabiliter ab ipso propheta Daniele conscriptae, in libro eius nominis agnoscendae sunt.

Etiam haec thesis communiter ab auctoribus et criticis nostrae quoque aetatis accipitur, alias enim neque traditio, ad quam testantibus Schürer, Meinholt, Sellin et aliis critici provocant, neque ipsum nomen libri explicantur.

Unde enim liber Daniel in canone librorum sacrorum apud Hebreos, in versione autem LXX etiam inter Prophetas, inventus sit? Unde nomine Danielis sit appellatus? Unde interpretes LXX eum ut librum sacrum et propheticum interpretati sint?

Quare etiam critici et rationalistae, ut Schürer, de antiqua traditione Danielica loqui necesse habent.

Sed et positivae rationes dantur, ob quas et propter quas traditio antiqua et partes antiquae, partes quoque ipsius prophetae Danielis accipiendae sunt.

Rationes obiectivae in eo praeprimis conspiciuntur, quod prima parte libri historica auctor optime gnarus rerum ac morum Babyloniorum ac Medorum supponendus videatur. Auctor novit res aulae regum Babyloniae et Persarum, vixisse igitur in aula et illis temporibus supponendus est. Nomen Baltassaris solummodo ex libro Daniel notum erat, donec nostris temporibus detecti fontes cuneiformes existentiam eius comprobarunt.

Pelt, ante eum autem Trochon et alii, citant ad hanc rem verba Lenormant contra rationalistas, qui eius tempore originem Danielicam absolute reiiciebant:

„Je dois avouer, qu'une partie des arguments invoqués par Corrodi, Eichhorn etc. (contre le livre Daniel), m'ont paru longtemps irréfutés. J'acceptais leur opinion et je l'ai même imprimée. Des raisons uniquement et exclusivement scientifiques m'ont amené à changer d'opinion et à revenir aux données de la tradition... Ma conviction nouvelle s'est formée sur l'étude des textes cunéiformes, dont le contrôle avait manqué pour le jugement“<sup>79)</sup>.

Etiam Schraders opus, ab rationalistis Zimmern et Winkelser, optime notis assyriologis nostrorum temporum, revisum ac novo editum, agnoscit in libro Daniel antiquas partes, notitiam rerum babylonicarum et veram traditionem<sup>80)</sup>.

Item Alfredus Jeremias in suo opere *Das Alte Testament im Lichte des Alten Orients*<sup>81)</sup>, scribendo do libro Daniel, invenit in eo notitiam rerum babylonicarum, quae notitia utique traditionem Danielicam libri confirmare videtur.

Sed alia etiam pro traditione Danielica argumenta allegari possunt.

Tota pars historica narrat eventus, quibus Deus utitur, ut nomen Dei Jahve inter gentiles noscatur et ut Daniel tamquam verus Dei propheta probetur. Narratur de regibus Babyloniae et Persarum, eos, audiendo Danielem, agnovisse Deum Israel, etiam eum adorasse. Quomodo haec tendentia apud Judaeum temporis

<sup>79)</sup> L'abbé J. B. Pelt, *Histoire de l'A. T.* Paris-Lecoffre 1912, T. II, p. 364 in adnotatione.

<sup>80)</sup> Keilinschriften u. das Alte Test. 3 Aufl. u. s. p. 284, 287 et 334.

<sup>81)</sup> 3 Aufl. Leipzig, Hinrichs 1916, p. 629.

Epiphanis et Machabaeorum inveniri possit? Anachronismus hoc esset. Et quisnam Judaeus Palaestinae temporibus Seleucidarum et Epiphanis occuparetur antiquis rebus Nebucadnesaris, Amel-Marduci, Nabonnedi, Belšar-ussuri, et quomodo de grato animo illorum regum gentilium erga populum Israel diceret? Omnia haec contra tempora Machabaeorum testantur et postulant veram et authenticam traditionem in libro Daniel, existentiam autem prophetae Danielis tamquam testis ocularis et auctoris supponunt.

In aliquibus capitibus auctor libri ut Daniel propheta prima persona loquitur, aliis vero in capitibus de eo dicitur tertia persona: et hanc quoque circumstantiam quidam ut argumentum pro auctore ipso Daniele tractant, dicendo Danielem esse auctorem libri, quia in libro occurrunt locutiones „ego Daniel“, „Daniel dixit“, „videbam in visione“, et similia<sup>82)</sup>.

Non sunt magni habendae eiusmodi argumenta; videmus enim in libro apocrypho aethyopico Henoch similes formulas: non licet tamen inde deducere, patriarcham Henoch revera esse auctorem libri, vel accepisse mandatum a Deo ad conscribendas visiones, quas accepisset.

Dicet quis forte, aethyopicum Henoch esse apocryphum, non librum canonicum, et dependere a libro Daniele, librum autem Daniel esse librum canonicum ab alio non dependere, quia factus est omnibus ceteris libris apocalypticis Judaeorum aetatis posterioris liber exemplaris: diverso igitur modo tractandas esse eiusmodi formulas in uno et in altero libro.

Sed neque in libro Danielis locutiones istiusmodi possunt esse criterium authentiae, quia possunt ad solam formam litterariam reduci, qua auctor, sive inspiratus sive non inspiratus, cum omni libertate uti possit, si eius usus ex aliqua ratione ei opportunus videatur. Ipse auctor libri *Ecclesiastes* simili formula usus esse videtur, dicit enim: Ego Ecclesiastes fui rex Israel etc., attamen haec verba nondum probant Salomonicae originem huius libri.

Sed ex altera parte, si Daniel ipse revera visiones suas conscriberet et quasdam partes libri conficeret, diceret probabiliter de se prima persona, propterea accendentibus aliis rationibus, ut in hoc casu, etiam iis locutionibus aliqua vis non est a priori neganda.

---

<sup>82)</sup> Knabenbauer, Commentarius in Danielem Prophetam u. s. p. 20.

Potuit itaque ipse propheta Daniel esse auctor, si non totius hodierni libri, saltem aliquarum eiusdem partium. Eo modo et haec tertia conclusio sat clara et probata videtur.

Et quae sint partes ipsius Danielis, quae autem temporum posteriorum, fortasse et Machabaeorum? De hoc capite sequenti.

## CAPUT V.

### **Quae partes esse possint temporum Machabaeorum, quae vero et ipsius Danielis prophetae?**

Ne quis hic plus exspectet, quam exspectari potest — iam nunc dicimus. Argumenta et criteria stricta ad solvendam hanc quaestionem hic non afferri, talia enim hodie omnino desunt, et si essent, certo decursu tot saeculorum ab ingeniosis viris, qui vires suas his quaestionibus applicabant, iam invenirentur. Non igitur de demonstratione stricta hoc capite sermo erit, sed de solis rationibus, quae eiusmodi distinctionem admissibilem et possibilem reddant. Ipsa etiam conclusio, ad quam hoc quoque capite pervenire intendemus, characterem hypotheticum habebit, atque judicio subiicitur Ecclesiae, cuius solius est iudicare de rebus fidei et morum.

Hisce praemittendis praemissis, ad ipsam hanc quaestionem accedo.

Ex praecedentibus studii nostri capitibus patet, si de aliquibus partibus libri Daniel affirmari possit machabaeica origo, has partes constituere prae ceteris caput XI. Omnes critici Danielicam originem libri negantes et interpretationem machabaeicam accipientes, ad istud prae aliis capitulum provocabant et provocant, quia illud in libro Danielis accuratissima narratione factorum historicorum epochae Seleucidarum et Machabaeorum iuxta criticos auctorem horum temporum postulet. Eiusmodi accurata narratio, ut iam pluries praecedentibus capitibus notavimus, in aliis libris sacris propheticis non conspicitur. Hoc capitulum videtur potius realia post eventum narrare, quam futura prophetice praenuntiare.

Attendamus ad verba s. Hieronymi in Prologo in Danielem posita:

„Ad intelligendas autem extremas partes Danielis multiplex Graecorum historia necessaria est. Sutorii videlicet Callinici, Dio-

dori, Hieronymi, Polybii, Posidonii, Claudii, Theonis et Andronici cognomento Alipii, quos et Porphyrius esse secutum se dicit; Josephi quoque et eorum, quos ponit Josephus, praecipueque nostri (latini) Livii et Pomeii Trogi atque Justini, qui omnes extremae visionis narrant historiam et post Alexandrum usque ad Caesarem Augustum, Syriae et Aegypti, i. e. Seleuci et Antiochi et Ptolemaeorum bella describunt“<sup>83)</sup>.

Tot auctores Graeci et Latini necessarii erant Porphyrio, sed et ipsi Hieronymo, ut illustrari possent „ea, quae a sanctis prophetis ante saecula multa praedicta sunt, et tam in Graecorum, quam in Latinorum et aliarum gentium litteris contineantur“<sup>84)</sup>. Certo de cap. XI agitur, de extrema visione Danielis hoc capite accuratissime narrata.

Ipse Hieronymus in explicandis versibus huius capitinis vult esse brevis et probabiliter explicationem historicam ex libro Porphyrii sumebat, ubi iam satis praeparata inveniebatur, sed non mechanice, cum aliquando testante commentario Hieronymi ad v. 20 a Porphyrio discrepet.

Ad versum XI. 21 Hieronymus characteristice dicit: „Hucusque ordo historiae sequitur et inter Porphyrium et nostros (nos) nulla contentio est. Cetera, quae sequuntur, usque ad finem voluminis, ille interpretatur super persona Antiochi, qui cognominatus est Epiphanes, frater Seleuci... et Machabaeorum bella narrantur. Nostri autem haec omnia de Antichristo prophetari arbitrantur, qui ultimo tempore futurus est“<sup>85)</sup>. Nostri autem et melius interpretantur et rectius — dicit Hieronymus<sup>86)</sup>. Sed hodie ipse etiam P. Knabenbauer illos versus de Antiocho interpretatur<sup>87)</sup> contra praedicta verba Hieronymi, quia vera historia toto hoc capite narratur et solummodo sensu typico de Antichristo et temporibus eschatologicis tota haec narratio accipi possit.

Sumamus ex. gr. vers. XI. 6: „Et post finem annorum faerabuntur (rex Aquilonis-Syriae et rex Austri-Aegypti), filiaque regis Austri veniet ad regem Aquilonis facere amiticiam; et non obtinebit fortitudinem brachii, nec stabit semen eius; et tradetur

---

<sup>83)</sup> P L XXV, col. 494.

<sup>84)</sup> Ibidem.

<sup>85)</sup> P L XXT, col. 565.

<sup>86)</sup> Ibidem col. 566.

<sup>87)</sup> Comment. in Danielem p. 300 ss.

ipsa et qui adduxerunt eam adolescentes eius et qui confortabant eam in temporibus“.

Agitur iuxta exegetas hoc versu de matrimonio ex ratione politica filiae Lagidae cum rege Seleucida.

Quidam exegetae ad mentem huius versus eo modo apprehensi versum II. 42—43 commentantur, verba scilicet de digitis statuae ex parte ferreis ex parte fictilibus, de ferro mixto testae ex luto: „Commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhaerebunt sibi, sicut ferrum misceri non potest testae“.

Applicatio huius sensus versui II. 43 non videtur necessaria, quamquam et prof. Götsberger illam accipit<sup>88)</sup>. Knabenbauer hunc locum explicat per „varias gentes et nationes, quae inter se quidem commercia atque connubia ineunt, neque tamen firmam et stabilem societatem efformant“<sup>89)</sup>.

Trochon verba illius versus ad internos eventus Romae refert et ita scribit: „Selon eux (aliquos interpretes) le prophète désigne ici l’union contractée entre Pompée et César et entre Marc Antoine et Octavia, soeur d’Auguste, unions forcées par les événements et qui ne purent établir une sincère amitié entre les rivaux. D’anciens commentateurs hébreux entendent ces paroles des alliances, qui eurent lieu entre les juifs et les Romains: le fer designerait les Romains, l’argile et la tuile les juifs“<sup>90)</sup>.

Sed non agimus hoc loco de II. 43: agitur de XI. 6. Quem versum P. Knabenbauer sequendo s. Hieronymum<sup>91)</sup>, ita explicat: Serie annorum interposita<sup>92)</sup>, Antiochus Theos (261—247) adversus Ptolemaeum Philadelphum (285—247) gessit bella plurima et totis Babylonis atque Orientis viribus dimicavit: Volens itaque Ptolemaeus Philadelphus post multos annos molestum finire certamen, filiam suam Berenicen Antiocho Theo uxorem dedit, qui de priore uxore, nomine Laodice, habebat duos filios... Antiochus autem Berenicen consortem regni se habere dicens, Laudicen vero in concubinae locum. Post multum temporis, amore superatus, Laodicen cum filiis reducit in reginam. Quae metuens ambiguum viri

<sup>88)</sup> Das Buch Daniel, u. s. p. 24.

<sup>89)</sup> Commentarius in Danielem, u. s. p. 92.

<sup>90)</sup> Prophéties de Daniel, u. s. p. 109.

<sup>91)</sup> In Danielem prophetam, P L XXV, c. 560.

<sup>92)</sup> In Vulgata leguntur „post finem annorum“; Hieronymus intra parenthesim ponit: sive ut Theodotion „et post annos“. Götsberger interpretatur „nach Jahr u. Tag“ (?); Trochon „après quelques années“.

animum, ne Berenicen reduceret, virum per ministros veneno interfecit, Berenicen vero cum filio, qui ex Antiocho natus est, Icadiioni et Genneo Antiochiae occidendam tradidit, filiumque suum maiorem Seleucum Callinicum (circa 247 ante Chr.) in patris loco regem constituit<sup>93)</sup>.

Fideliter ergo v. XI. 6 vera historia, tectis utique nominibus, descripta esse videtur.

Aliud exemplum: (XI. 18) „Et convertet faciem suam ad insulas et capiet multas et cessare faciet principem opprobrii sui et opprobrium eius convertetur in eum“.

P. Knabenbauer ita hunc versum iterum s. Hieronymum sequens, commentatur: Antiochus III Magnus (223—186) expeditionem aggressus est in Asiam Minorem et insulas adiacentes et cepit Rhodum et Samum et Colophonam et alias multas insulas. Sed insigni clade victus apud Magnesiam (190 a. Chr.) et coactus pacem petere a Romanis, quam Lucius Scipio ei concessit his conditionibus, ut Asiam Romanis cederet et contentus Syriae regno esset, naves universas, captivos et transfugas traderet, sumptumque omnem bellum Romanis restitueret<sup>94)</sup>.

Eandem explicationem ponit quoque Götsberger dicitque omnes exegetas eodem modo hunc eventum historicum hic applicare<sup>95)</sup>.

Ex his duobus exemplis cognoscitur illa minuta fidelitas, qua eventus historici hoc capite narrantur. Brevissime enim expeditur hoc capite historia regnum Persarum, quorum tantum quatuor commemorantur (XI. 2a) et regnum Alexandri Magni (XI. 2b—4), nihilque dicitur de eventibus post Antiochum Epiphanem usque ad adventum Christi, fuse autem et cum minutis singularis, omissis tamen nominibus, narrantur bella eventusque inter Lagidas et Seleucidias et oppressio populi judaici per Epiphanem.

Versus 40—45 difficiles sunt varioque modo ab exegetis explicantur, quia etiam obscure de fine Antiochi XI. 45 secundum textum hebraicum dicitur. Mors eius videtur ab auctore demum sperari, secuta est autem iam reconciliatio templo (decembri 165) Tabis in Perside, non in monte sancto Jerusalem, a. 164 ante Chr.

<sup>93)</sup> Commentarius in Danielem, p. 291—292. Numerus annorum positus est iuxta Götsberger, p. 82.

<sup>94)</sup> Commentarius in Danielem, p. 299.

<sup>95)</sup> Das Buch Daniel, p. 83—84.

Versus isti possunt accipi ut quaedam recapitulatio praecedentium de Antiocho Epiphane, cuius mors in vindictam pro perpatratis sceleribus erga Deum verum et erga fideles Dei (confer: II Machab. c. IX), sperabatur, vel ab exegetis explicantur sensu eschatologico et typico de Antichristo.

Sensus eschatologicus, saltem typicus de Antichristo, ab omnibus exegetis catholicis admittitur et fortasse propter hunc ipsum typicum et eschatologicum sensum totum caput XI in libro inspirato et canonico invenitur. Non enim ad enarrandam historiam profanam qua talem inspiratio dari supponitur, sed ad res divinas et morales promovendas, ad figuranda futura et eschatologica, ad confirmandam spem et ad consolationem populi fidelis.

Quia vero non videtur sufficiens ratio, qua credatur, omnes illos eventus cum minutis etiam adiunctis ad historiam per magnam partem profanam pertinentes, a Prophetā ex supranaturali revelatione esse praenuntiatos, admitti possit, narrationes huius capituli esse quidem inspiratas a Deo, sed esse narrationes post eventum, conscriptas stylo prophetico circa 165 ante Chr., priusquam Antiochus Epiphanes mortuus fuerit.

Ita de capite XI etiam inter catholicos teneri possit. Qui specialem revelationem singulorum in hoc capite a Deo admittere non velit, quia talia in aliis prophetiis Vet. Test. non conspi ciuntur, necesse habebit ita tenere.

Qui interpretationem machabaeicam cap. IX accipiunt, certo etiam machabaeicam originem cap. XI accipere debeant, ut Porphyrius fecit et plures hodiernos criticos facere videmus, alioquin complicarent rem sine ulla necessitate.

Sed caput XI connectitur cum praecedenti et videtur esse continuatio capituli X, consequenter etiam continuatio revelationis ab angelo Danieli concessae: quomodo ergo capiti XI abneganda sit origo Danielica?

Responderi potest, redactorem novissimum totius libri Daniel ita hanc rem ordinasse, novumque caput cum antiquiori capite X in unum coniunxisse. Possit etiam accipi primos quatuor versus capituli XI revera' esse antiquiores, quia modo generali de regno Persarum et de monarchia vel monarchiis Graecorum narrant, ulteriores autem versus, incipiendo a XI. 5, esse tempore Machabaeorum exaratos et praecedentibus versibus iniunctos.

Haec ad partem redactionis pertinent, non ad quaestionem a nobis disputatam.

Danielica autem origo tribuenda est capiti Dan. II, ubi de statua a Nabuchodonosoro visa, de eiusque per Danielem explicatione narratur.

Hoc enim capite conspicitur apud auctorem scientia rerum babyloniarum, notitia aulae regis et ipsius regis potentissimi. Daniel a Deo illustratus revelat regi Nabuchodosoro et statuam in somnio visam et explicat hanc visionem, quam nullus ariolorum Babyloniae explicare valebat.

In explicatione, quam propheta regi aperuit, narratur modo generali et obscuro, non ad modum narrationis cap. XI, de quatuor monarchiis, quibus successorum erat regnum messianicum et aeternum. Clare praenuntiantur adventus Messiae eiusque regni, nulla vero specialia et minuta de regnis Babyloniorum, Persarum et Graecorum.

Lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus et implevit universam terram (II. 35 b); secundum quod vidisti, quod de monte abscissus est lapis sine manibus, et comminuit testam et ferrum et aes et argentum et aurum, Deus magnus ostendit regi, quae ventura sunt postea. Et verum est somnium et fidelis est interpretatio eius (II. 45).

Certo somnium hoc eiusque interpretatio non sunt inventa tempore Seleucidarum et Machabaeorum, tota enim narratio capituli II temporibus istis esset inepta. Caput II oriri poterat stante regno Nabuchodonosori, non aetate Seleucidarum, cum Judaei Legi Moysis fideles, omnem contactum cum gentibus vitarent.

Formula salutationis „Rex in sempiternum vive“ — ait Marti<sup>96)</sup> — in Oriente ab antiquo viguisse et in textibus Assyriorum inveniri: testatur igitur pro antiquitate et authentia narrationis.

Mens huius capituli (II) in Messiam regnumque messianicum ducitur, non in eventus Seleucidarum et Lagidarum vel Antiochi Epiphanis. Passus II, 43 non est necessario iungendus, ut iam notaviimus, cum matrimonii Seleucidarum et Lagidarum. Si etiam coniugendus sit, possit esse posterior glossa et interpolatio, neque testaretur contra antiquam originem totius capituli.

---

<sup>96)</sup> Das Buch Daniel, u. s. p. 9,

Quaestionem, utrum quaedam affinitas detur inter statuam ex auro, argento, aere ferroque ac testa confectam et inter motivum quatuor saeculorum ex traditionibus Romanorum, Graecorum, Persarumque notissimum, omittimus; non enim ad nostram materiam haec quaestio pertinet.

Quatuor regna capitinis II communiter accipiuntur ut regnum Babylonicum, Medo-Persicum, Graecum et Romanum. Ferrum magis convenire videtur Romanis, quam Seleucidis et Antiocho Epiphani, et non convenit caput II capite XI illustrari, cum caput II antiquius habendum sit et non dependeat a posteriori capite XI.

Dato, non concesso, regnum quartum capite II intelligendum esse regnum Seleucidarum, pro regno secundo accipiendum esse Medo-Persicum, non, ut Götsberger et Michalski velint, regnum Baltassaris, pro regno vero tertio monarchiam Alexandri Magni, pro quarto denique regnum Seleucidarum. Impossibile enim videtur ex duobus regibus eiusdem monarchiae duas distinctas monarchias induci, possit autem iuste universalis monarchia Alexandri Magni a regno Seleucidarum distingui. Sed nihil dictu digni contra acceptandum capite II imperium Romanum ut quartum regnum affertur, nisi iterum caput XI et quaedam cum hoc capite coniuncta, ut Dan. VII. 19 ss. et similia.

Caput igitur XI aetatis esse Machabaeorum arbitrator, caput vero II aetatis Danielis prophetae, immo ipsius Danielis.

In capite VIII Daniel prima persona loqui invenitur, sed non sequitur inde, ut caput VIII necessario ipsi Danieli in toto tribuatur. Caput VIII affine appetet capiti XI, potestque esse originis posterioris, si non in toto, saltem in aliquibus notabilioribus partibus, quia hoc quoque capite nihil de regno Babylo-niorum dicitur, fusius autem narratur de regnis Medo-Persico, Alexandri Magni et Antiochi Epiphanis. Accurate describuntur opressio Judaeorum et politica Antiochi Epiphanis, hostilis Deo vero et Legi Moysis. Nihilque hoc capite dicitur etiam de regno messianico et de Messia.

Quaedam in hoc capite, ex. gr. VIII. 1 s., et VIII. 16, possint postulare originem antiquam et Danielicam, alia autem ut VIII. 8 ss., VIII. 14, VIII. 20 ss., melius convenient posterioribus temporibus, possintque exarari temporibus Machabaeorum.

Clarius apparet in hoc capite sensus typicus et eschatologicus, verba enim „quoniam in tempore finis complebitur visio“ (VIII. 17) et „ego ostendam tibi, quae futura sunt in novissimo maledictionis, quoniam habet tempus finem suum“ (VIII. 19), sensum eschatologicum postulant.

Caput VII in multis parallelum est capiti II, sed in aliis affinis esse videtur capiti XI et eiusdem aetatis.

Simili modo, ac capite II, narratur capite VII de quatuor regnis, quae hic tamen repraesentantur quatuor animalibus, quatuor bestiis: leaena cum alis aquilae optime regno babyloniorum convenit; ursus alteri regno, tertio loco pardus ad Alexandrum eiusque successores spectaret, quarta denique bestia terribilis, mirabilis, fortis nimis, dentibus ferreis, cum decem cornibus, dissimilis ceteris bestitis (VII. 7) respondere videtur imperio Romano.

Narrationi de lapide sine manibus avulso et de regno messianico capite II correspondent capite VII visio judicii Dei et visio Filii hominis, qui ab „Antiquo dierum“ omnem potestatem summosque honores accipit.

Visio Filii hominis Messiam revelat estque principalis revelatione in libro Danielis. Filius hominis non est habendus ut symbolum, analogum cum bestiis, sed designat individualem et personalem Messiam. Verba VII. 27 de regno dando populo sanctorum Altissimi, non demonstrant sensum symbolicum Filii hominis, quia verba VII. 13—14 non possunt ad populum spectare, sed ad individualem Messiam. Utique neque rex sine populo, neque populus sine rege regnum constituunt. Capite VII revelantur et rex messianicus et populus sanctorum, quia revelatur regnum messianicum: sed VII. 13—14 speciali modo revelatur supranaturalis, praeexistens, coelestis Messias, non populus ex sanctis Altissimi in terris assumendus.

Critica non vult agnoscere characterem personalem huius visionis, sed ipsa natura rei talem interpretationem postulat et propterea tum apud Judaeos ante Christum, tum apud christianos locus iste sensu messianico intelligebatur, omnis autem alia interpretatione non videtur probabilis et apta.

Baldensperger ex. gr., et Ed. König accipiunt, imaginem Filii hominis esse merum symbolum, prout symbola sint quatuor bestiae huius cagitis. Ipse autem agnoscere necesse

habuit, hanc imaginem factam esse characteristicum attributum Messiae, idque explicat evolutione ideae messianicae. Ecce verba huius auctoris:

„Schon die geheimnisvolle, nur via comparationis ange-deutete Formulierung, deren Wichtigkeit aus der Übernahme von Seiten aller nachfolgenden Apocalypsen erhellt, liess hinter dem Schleier ein ganz besonders Hohes u. Grosses vermuten u. suchen. Sie reizte hinein zu denken. Darum ist es auch nicht verwunderlich, sondern naturgemäss, dass man in Folgezeit versucht wurde, das Bild Daniels auf den persönlichen Messias zu beziehen u. ihn danach zu benennen“<sup>97)</sup>.

Auctor optime scit, quanti valeat in theologia et in exspectationibus messianicis populi Israel ante adventum Christi haec visio Filii hominis: sed valor hic non posteriori evolutioni et interpretationi tribuendus est. Ipse textus Dan. VII. 13—14 novum, mysteriosum, hucusque etiam in vaticiniis messianicis ignotum characterem futuri Messiae, utique individualis et personalis, revelat. Sensus obvius talem interpretationem postulat. Interpretatio symbolica est contra ipsum tenorem verborum. Inde et antiqui magistri judaeorum<sup>98)</sup>, et commentatores christiani et ipse Christus Dominus, qui hoc nomen sibi assumpsit<sup>99)</sup>, talem personalem sensum huius visionis accipiunt.

Rabbini post Christum Dominum, cum hic titulus a christianis personae Christi applicaretur, vetabant illum applicare Christo<sup>100)</sup>, locum Dan. VII. 13 silentio premebant, contra voluntatem suam confirmantes, locum hunc ad personam Messiae referendum esse, non sensu symbolico interpretandum.

Plura verba quaestioni Filii hominis dicamus, quia magni est in theologia et apologetica; hoc tamen loco volumus solum-

<sup>97)</sup> W. Baldensperger, Die messianisch-apokalyptischen Hoffnungen des Judentums. Strassburg, Heitz<sup>1905</sup>, p. 131.

off-

<sup>98)</sup> Cfr. ad hanc rem Les prophéties messianiques de l'Ancien Test., par Jean Brièrre-Narbonne. Paris, Geuthner. 1933, p. 104.

st.,

<sup>99)</sup> Cfr. Dr. Fritz Tillmann, Hat die Selbstbezeichnung Jesu „der Menschensohn“ ihre Wurzel in Dan. VII. 13? (Biblische Zeitschrift 1907, p. 47 ss.). Conclusio auctoris contra Theodorum Zahns sequens est: Die Rückführung des Terminus „der Menschensohn“ auf Dan. VII. 13 trotz des Einspruches Zahns nach wie vor zu Recht besteht (p. 47).

1er

<sup>100)</sup> Herman Strack, Jesus, die Haeretiker u. die Christen, Leipzig, Hinrichs 1910, p. 37 (cum asterisco).

modo Dan. VII. 13—14 cum Dan. II. 45 conferre ad probandam affinitatem utriusque loci et affinitatem utriusque capitum libri Daniel. Inde sequitur, ut sicut caput II, ita etiam caput VII antiquioribus partibus libri, ipsique prophetae Danieli tribuatur. Ipsa symbola bestiarum alatarum symbola Ezechielis (Ezech. I) in memoriam revocant et tempora regni babylonici et Danielis postulant, non tempora Machabaeorum.

Sunt tamen in eodem capite VII alia, quae certo ad Antiochum Epiphanem eiusque gesta referenda sunt et potius pro temporibus Machabaeorum testantur.

Commemoratur VII. 8 cornu parvulum; idem cornu videtur esse VII. 20, illique cornui tribuitur bellum adversus sanctos. De eodem cornu videtur dici, quod sermonem contra Excelsum loquatur et sanctos Altissimi contritus sit, et putet, posse se mutare tempora et leges (VII. 23). Haec omnia optime cum aliquibus locis capitum VIII et XI concordant et haud dubie ad personam Antiochi Epiphanis referenda sunt, etiamsi et sensus typicus eschatologicus his locis non sit alienus. Haec magis temporibus Machabaeorum, quam Danielis aetati convenient, et originis posterioris esse possunt.

Ad has posterioris aetatis partes pertinere videntur VII. 18 et VII. 19—27. Versus VII, 26—27 pro quadam repetitione VII. 18 haberi possint.

Potest itaque admitti, aliquas partes huius capitum, speciatim visiones bestiarum et de Filio hominis, de quatuor regnis et de regno messianico originem Danielicam habere, alias vero partes originem machabaeicam.

Versus VII. 19—27 possunt esse additamentum posteriorum temporum ad antiquiores partes aetatis Danielis, ut accuratius delinietur actio Antiochi Epiphanis contra Deum verum Judaeorum. Potuit hanc additionem perficere auctor, qui singulas partes, antiquas et recentes, in unum librum collegit, ordinavit, hodier namque formam dedit. Eo modo explicari possit traditio apud quosdam Judaeos, non ipsum prophetam Danielem, sed patres synagogae auctores fuisse huius libri<sup>101)</sup>.

---

<sup>101)</sup> Aug. Calmet in Praefatione in Danielem, u. s. p. 493 refert, Isidorum audivisse ab Judaeis, librum Danielis patribus Synagogae attributum esse.

Caput X nihil speciale continet, quod de temporibus Machabaeorum testetur, potest igitur esse originis antiquae.

Caput XII primis versibus cum capite XI connectitur, sensumque eschatologicum exhibet, quia et de judicio eschatologico et de resurrectione mortuorum expressis verbis loquitur. Alii versus obscuri sunt. Quaedam ut XII. 5 s., videntur ad Danielem spectare et possint esse ab eo, alia autem aliquam analogiam exhibit cum dictis capitum IX et XI. Sensus eschatologicus clare toto hoc capite apparet. Quomodo haec explicentur? Cogitavitne auctor, morte Antiochi Epiphanis, qui ultimis versibus cap. XI praevideri videtur, regnum messianicum et judicium universale omnium immediate adventurum? Potest hoc admitti. Hoc modo etiam explicaretur, quare posteriora tempora, post mortem Antiochi Epiphanis et ante adventum Christi, finito capite XI, non describantur, neque expresse capite XII praevideantur, sed dicatur de novissima oppressione et probatione fidelium, deque novissimo iudicio.

Deus, prout Novo Testamento, ita etiam Veteri diem finis mundi et judicii universalis non revelavit, propterea dicta capitum XII obscura sunt, possuntque esse ab inspirato redactore ex visionibus praecedentibus et et dictis praecedentibus composita ad claudendam totam partem propheticam libri Danielis, ad concludendum totum librum in canone Hebraeorum.

Quaedam nunc dicenda sunt de origine capitum IX et vaticinii 70 hebdromadum, quae nos praesenti studio p[re]ceteris occupant. Vaticinium hoc traditio Hebraeorum et christianorum prophetae Danieli tribuit; critici vero hodierni illud temporibus Machabaeorum exaratum esse accipiunt. Quaenam sententia ut recta sit tenenda?

Totum hoc caput una cum vaticinio 70 hebdom. originis Danielicae esse certum habemus.

Nulla enim ratio videtur, cur caput IX cum XI, ut permulti critici volunt, sit iungendum, plures autem rationes afferi possunt pro Danielica origine huius capitum et vaticinii.

Totum hoc caput characterem singularem et individualem exprimit et optime Danieli prophetae eiusque aetati congruit.

Quis enim reaedificatis iam templo et muris civitatis consideraret verba Jeremiae de reaedificanda civitate post 70 annos exsilii? Quis tempore Machabaeorum peteret a Deo misericor-

diam pro populo, ut completerentur desolationis, i. e. exsilii Babylonici anni?

Illa autem pulcherrima oratio cap. IX. 4—17 iniuste et arbitrarie a criticis von Gall et Marti pro aliena interpolatione habetur<sup>102)</sup>. Alius criticus Meinholt affirmat eam optime cohaerere cum similibus orationibus Esdrae (IX. 6 s.) et Nehemiae (I. 5, IX. 6 s.)<sup>103)</sup>, cum populo judaeorum in exilio degenti stricte esse coniunctam, non potuisse nasci temporibus Machabaeorum, sed temporibus Danielis.

Caput IX in libro neque cum cap. VIII, neque cum cap. X immediate in libro connectitur et ideo videtur esse caput distinctum, a praecedenti et subsequenti independens, in traditione distincte conservatum, libro per novissimum redactorem sine ulla modificatione insertum.

Et praedictio 70 hebdomadum, i. e. 490 annorum, quomodo oriri possit temporibus Machabaeorum? Sed dato aliquem temporibus Machabaeorum etiam voluisse totum hoc vaticinium fingere, ut aliquem finem facilius assequeretur, ut scilicet gesta Antiochi Epiphanis a Deo praevisa esse ostenderet. At quid tam obscure finixerit, ut hodie difficillime adimpletio horum annorum Antiocho Epiphani applicari possit? Si fingeret temporibus Machabaeorum, probabiliter ita fingeret, ut tempora Epiphanis ex ipsis computatis annis vaticinii elucerent, ne tot dubia orirentur hodie etiam inter criticos, qui hanc hypothesim defendunt.

Supponenda est igitur potius existentia et notitia huius vaticinii ab antiquo, multum ante tempus Epiphanis et Machabaeorum. Cum autem haec tempora advenissent et multa in eo vaticinio etiam his temporibus, i. e. gestis Epiphanis, applicari possent, applicabantur. Obscuritas, quae vaticinio inherat, faciliiores redebat varias explicationes et applicationes, certa enim criteria ante adventum Christi deerant. Potuit nasci fides, vaticinium hoc ad ea, quae aetate Epiphanis fiebant, referri debere.

Certum est ex studio Bludau<sup>104)</sup>, LXX interpretes vaticinum hoc ad tempora Antiochi Epiphanis retulisse. Sed modo

<sup>102)</sup> Karl Marti, Das Buch Daniel, u. s. p. 64.

<sup>103)</sup> „Das Gebet berührt sich nahe mit dem des Esra u. Nehemiae“. Meinholt, Das Buch Daniel, u. s. p. 313.

<sup>104)</sup> Die Alexandrinische Übersetzung des Buches Daniel (Biblische Studien 1897, 2 u. 3 Heft).

mirabili interpres, ut probabiliorem redderet ipsam hanc applicationem, discessit a recta via et fideli interpretatione. Audiamus hic ipsum Bludau loquentum:

„Was die griechische Übersetzung des Buches Daniel angeht, so ist sie voll von Anspielungen auf die Verfolgung durch Antiochus Epiphanes u. lässt erkennen, dass mehrere spezielle Züge aus der Geschichte der Makkabäerzeit in die unbestimmt gehaltenen Weissagungen von dem Alexandriner hineingetragen worden sind; vgl. Dan. IX. 24—27; X. 1, XI. 25, 30, 33. Es scheint deshalb die Annahme begründet zu sein, dass sie unter dem frischen Eindruck dieser Ereignisse angefertigt sei“<sup>105)</sup>.

Scimus, propter hanc infidelem versionem vaticinii 70 hebd. versionem LXX in Ecclesia hoc loco non esse receptam; loco eius receptam esse versionem graecam Theodotionis, ut iam Hieronymus observavit.

Haec tendentia interpretis Alexandrini supponit antiquum et obscurum textum prophetae Danielis, non aliquam fictionem temporum Machabaeorum.

Ipsa vero applicatio vaticinii temporibus Antiochi neminem mirari potest, quia varia regna a Daniele praenuntiata sunt, et in ipso vaticinio 70 hebd. praedictae erant ruina templi et civitatis, ablato sacrificiorum, abominatio et desolatio, quae revera etiam temporibus Antiochi Epiphanis, quodam sensu et ad tempus, factae sunt. Poterant itaque etiam auctor I Machabaeorum (I. 57) et interpretes Alexandrini et alii haec ipsa facta a propheta Daniele in vaticinio praenuntiata eventibus illius temporis applicare.

Etiam auctor et redactor capituli XI et aliarum posteriorum partium in libro Daniel potuit vaticinium 70 hebd. temporibus suis applicare et narrando de gestis Antiochi Epiphanis, quasdam vaticinii locutiones et expressiones partibus a se compositis inserere, ut clarius supposita ab eo adimpletio vaticinii aetate Epiphanis et Machabaeorum conspiceretur. Non dixit tamen expressis verbis, vaticinium 70 hebdomadum adimpletum esse, ita ut etiam in hodierna forma libri Daniel in hac parte antiqua obscuritas maneat et ulterius lis stet inter doctos, quibus temporibus et personis vaticinum hoc applicari debeat.

Vaticinium igitur 70 hebd. totumque cap. IX antiquioribus partibus libri et temporibus Danielis, ipsique prophetae Danieli attri-

---

<sup>105)</sup> Ibidem p. 8,

buenda sunt, non temporibus recentioribus. Vaticinium hoc videtur esse authenticum vaticinum Danielis, quia continua traditio Judaeorum Danieli hoc vaticinum imputabat, nullaque datur ratio, ut haec traditio reiiciatur, quia liber totus eius nomine appellatus est et in canone librorum sacrorum positus; quia in libro eius nominis occurunt vaticinia celeberrima, quae auctorem prophetam postulant et supponunt; quia in libro ipse Daniel ut propheta et auctor memoratur; quia denique nullus alius propheta est notus, qui in aula regum Babylonicorum, postea Persarum, viveret, inter has gentes ageret, spirituque propheticō donaretur.

Si itaque partes antiquiores ex temporibus Babylonicorum et Persarum in libro Danielis dentur, auctor earum ipse Daniel accipiens est, non alius, non discipuli generationis posterioris, non est quaerendus ignotus auctor temporis Alexandri Magni et eius successorum.

Non circa a. 300, ut Meinhold, Marti et alii supponunt, illae partes antiquiores exaratae sunt, sed ad ipsum Danielem ut earum auctorem decurrentum est, alias ipsa traditio non explicaretur.

Inter eas partes antiquiores Danielicae originis prae aliis ponendum est vaticinium 70 hebdomadum cap. IX. Capita IX et XI non sunt eiusdem aetatis, neque iungenda sunt ut partes eiusdem auctoris et argumenti et finis proximi.

Sed si vaticinium nostrum originem ab ipso Daniele cepit, nequit interpretatio eius fieri ad mentem capitinis XI ex aetate Machabaeorum.

Capite XI revera fusius et minutissime narrantur gesta Antiochi Epiphani, oppressio fidelium Dei, profanatio templi, ablato cultus et Legis Moysis: sed non inde inducendum est, etiam vaticinium 70 hebdom. eosdem eventus respicere et necessario sensu machabaeico accipendum esse. Adsunt enim in libro Danielis multi loci certo messianici et ad illos locos vaticinium quoque 70 hebdomadum pertinet.

Non itaque illustrandus est sensus huius vaticinii narrationibus capitinis XI, sed quaedam expressiones capitinis XI in ipso vaticinio 70 hebd. suam elucidationem invenire possunt.

Interpretatio huius vaticinii igitur non sensu machabaeico, sed sensu messianico fieri debet, quia sensum messianicum ipsa verba vaticinii et computatio annorum et facta historica postulant.

Si porro vaticinium 70 hebdomadum authenticum sit vaticinium prophetae Danielis, explicatio autem eius a factis capite Dan. XI narratis dependere nequeat, verba Christi Matth. XXIV. 15 sensu litterali et historico, non proprio, intelligenda sunt. Verbis Christi igitur vetus traditio de Danielica origine huius vaticinii confirmata est et iuste catholici apologetae et biblistae etiam ad verba divini nostri Salvatoris provocant provocareque in futuro poterunt.

### CONCLUSIONES.

Colligendo nostras observationes, ex praecedentibus capitibus sequentes eruimus sententias, quae ut admissibles ad conclusionem nostri studii ponantur.

1. In explicando Danielis vaticinio 70 hebdom. duas dari capitales interpretationes litterales in historia exegeseos: unam messianicam, machabaeicam alteram.
2. Quaestionem, quae ex his duabus interpretationibus pro recta accipienda sit, neque ex ipso textu qua tali, neque ex testimonio Jesu Christi in apologetica solvi posse.
3. Solutionem huius quaestioneis cum quaestione aetatis et originis libri Danielis et variarum eius partium connecti.
4. Admittendas esse antiquiores partes in libro Daniel et recentiores. Partes antiquiores ab ipso propheta Daniele oriri posse, recentiores vero posse esse aetatis Machabaeorum.
5. Caput IX vaticinumque 70 hebdom. ad illas antiquiores partes libri Daniel pertinere, ipsique prophetae Danieli esse tribuenda.
6. Vaticinium 70 hebdom., cum sit Danielis, non esse explicandum ad mentem capitinis XI aliarumque recentiorum partium aetatis Machabaeorum.
7. Reiciendam esse machabaeicam interpretationem huius vaticinii, solamque messianicam interpretationem pro recta et legitima habendam esse.
8. Verba Christi Matth. XXIV. 15 sensu litterali et historico esse accipienda.